UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...

**Ortega, Cristóbal de**

**Lugduni, M.DC.LXXX.**

IV. De causa reprobationis ex parte Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94285

Visual Library

matione,& rationis rectæ, & honeſtæ iudicio, peccatum eſt, quam bona ſint naturæ, & gratiæ cætera dona. Deus autem, cum auxilium ſufficiens, comitante etiam ſcientia inefficaciæ ipſius, donat, & vult, ne interpretatiuè quidem reprobi peccatum abſolutè vult, & donat, nec inefficaciam, ſiue peccati illius futuritionem conditionatam amat, vt vidimus: facta vero comparatione eius, quod ſolum in actu primo, & pro priori ad peccatum eſt, ac reprobo amatur à Deo, atque confertur, melius longè eſt, quam eius negatio: ſiquidem auxilio ſufficienti, quoad intrinſecum, & poſitiuum ſufficientiæ, quod ſolum à Deo amatur, conferturque reprobo, abſoluta eius poteſtas, & potentia phyſica ſupernaturalis: ad ſalutem conſtituitur, quam habere longè, melius reprobo eſt, quam non habere: arbitrio præſertim ſuo, quoad vſum ſubditam prorſus & ſubiectam: & quæ proinde ſine prauo reprobi vſu, & malitia, mala illi, adhuc in actu ſecundo eſſe minimè poſſit, aut nociua: vt Auguſt. & Patres frequentes à nobis ſupra memorati reſpondebant ad quæſtionem: cur Deus bonus hominem ita condiderit, vt melius eſſe, & peccare poſſit, ac non potius, vt peccare non poſſit; ac non eſſe bonus nequiret.

## QVÆSTIO IV.

### *De cauſa reprobationis ex parte Dei.*

EXaminata ſtatutaque reprobationis natura, & eſſentia, oportet ipſius cauſas examinare, & definire: eæ vero & ex parte Dei creaturam rationalem à ſuo fine reprobantis, & creaturæ ipſius reprobatæ eſſe, apponique poſſunt: quare ſeorſim de cauſa ex parte vniuſcuiuſque, ad reprobationem diſputandum, & primum de cauſis ex parte Dei præſente quæſtione. In ea vero certum eſt dominium ſupremum, eiuſq; Deo in ſua omnia creata bona, & dona, ad rem præſentem ſpeciatim ſupernaturalia auxiliantis gratiæ, ex quo pro ſuo arbitrio, vel omnia, vel efficacia, & habitum effectum, ſi donentur, abſque creaturæ rationalis iniuria conferre denegareve poteſt, cauſam reprobationis eſſe, vt fatentur omnes, noſque proinde ſæpè hactenus ſuppoſuimus: ſolum ergo eſſe quæſtio poteſt; an vlterior actus diuinæ voluntatis, ex quo reprobatio à gratia auxiliante efficace, (eodem enim modo de reprobatione etiam à gratia ſufficienti philoſophandum erit) illam præcedat? in dubium autem eſt ad voluntatem denegandi reprobo auxilia efficacia, qua reprobatio, vt diximus, completur, præcedere, vt minimum, finem, dominij, ſiue in donorum illorum ſupernaturalium largitione: ſubtractione exercendi, eiuſq; exercitij intentionem; etſi reprobi peccata præceſſerint, exercendæ etiam ibi iuſtitiæ vindicatiuę per auxiliorum ſubtractionis ſupplicium. Tota ergo pręſentis quæſt. difficultas eſt, an ex intentione inefficaci, vel efficaci, antecedente reprobi peccata, & demerita, priuandi ipſum gloria, atque inferno addicendi reprobatio eius ab efficacibus auxiliis (quorum ſcilicet ſubtractione, eo de facto deueniet, atque à regno excludetur) proueniat de facto, poſſitve ſaltem prouenire? ac proinde ea etiam intentio, vel efficax, vel inefficax excluſionis à regno, & damnationis reprobi, reprobationis à gratia efficaci, cauſa ex parte Dei ſit, eſſéve poſſit? quam quæſtionem de intentione efficace ſolum video à Doctoribus ex inſtituto diſputari; cum tamen de inefficace etiam nonnulla ſint ſcientia & examine Theologico digna, quæſtione 5. diſputanda, poſt quam de efficacis poſſibilitate quæſtionem quartam profligauerimus, ne multa ſimul examinantes confundamus.

## CERTAMEN I.

### *Pro quæſtionis expeditione notata.*

1. ADuertendum circa præfatam efficacem voluntatem excludendi hominem à gloria, illumque æternis cruciatibus mancipandi ante eius peccatum præuiſum dupliciter poſſe in Deo cogitari. Primo abſolutè, & ex ſupremo dominio in creaturas, bonaque, & mala illarum, quin in excluſione à regno cœleſti, & damnatione æterna creaturæ rationalis huius demerita, & peccata attendat, videatve, quæ puniat, ſed ſolum, vt ſuo in creaturas iure vtatur: de qua voluntate efficaci in Deo nunquam, nuſquamque eſſe certum ſtata apud Catholicos cunctos lege eſt, quæ in nulla rationali creatura defecit, aut vſquam deficiet, id, vt minimum, probant illa Chriſti Domini finaliter mundum iudicantis verba. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*: id eſt, qui ſolis apoſtatis Angelis, atque eorum ſimilibus præuaricatoribus hominibus inſtitutus, decretuſque eſt: Suadet ſecundo ſententia apud Patres, & Scripturam frequentiſſima, Deum, ſcilicet, ad mala cruciatuſque (æternos præſertim) creaturæ rationalis ab eius ſceleribus, maliſque meritis coactum venire ſolum, & inuitum trahi potius, quam venire, cuius ſententiæ præclara teſtimonia poſuimus controuerſia quinta, vbi deſiderium ſerium ſalutis omnium, etiam reproborum, ſtatuebamus, ſuadet: tertio ſententia alia amplior, nec minus Patribus frequens. Deum non permiſſurum creaturæ mala, nedum facturum ingens malum damnationis eius, niſi de eis poſſet facere, & de facto faceret bona: quare hac in re non de facto, ſed de poſſibili abſolutè, ſiue de potentia Dei abſoluta quæſtio apud Theologos eſſe ſolummodo poteſt. An Deus, non quidem, vt puniat commiſſa, ſed vt ſuo dominio iuréque vtatur, creaturam rationalem innoxiam in puris naturalibus ſine gratia, aut peccato conditam, poſſit abſolutè eius damnationem, ac ſubindè excluſionem à regno efficaciter velle, atque decernere.

2. In ea quæſtione Herize noſter diſputatione 33. citata c. 1. numero 8. noſter etiam Ioannes Præpoſitus ad quæſt 23. dub. 2. numero 103. & antiquiores plures affirmatiuam partem ſupponunt: neque vero Arriaga diſputatione 39. ſectione ſecunda, ſubſectione prima, Quiros tom. 2. de Deo vno, diſputatione 17. ſectione quarta, numero 16. Probat ille quia multum de crudelitate id procul dubio haberet: quemadmodum in homine, qui ad ſuum dominium in canem exercendum, oſtendendumque, illum quotidiè ſemiaſſare efficaciter vellet, quamdiu is viueret; nedum rationalem creaturam eo ſolum titulo Deum velle efficaciter merè per æternitatem. Quiros vero probat 1. ex Auguſtino 3. contra Iulianum capite 18. dicente. *Deus non poteſt ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.* Secundo, quia iuſtitia Dei arguit æternam vitam, in qua afflictus iuſtus temporaliter æternè fæliciter viuat, ne temporalia mala purè, & ſolum mala, abſque vllo fructu, & reſpectu ad bona potiora, Deo ſolum permittente, nedum volente, patiatur: citius ergo arguet pura & adeo dira mala inferni ex Dei ſola voluntate efficaci abſque vllo pœnæ debito creaturam rationalem æternè pati non poſſe. Poſtrema hæc duo parum vrgent: Sanctus Auguſtinus enim planè loquitur de malo illo æterno in pœnam ob peccatum, & ex iuſtitia vindicatiua creaturæ rationali inflicto à Deo: vt verbum damnare, & ratio ſubiuncta, *quia iuſtus eſt*, oſtendunt enim immeritum punire damnatione, & ſententia pænali propriè acceptis iuſtitiæ opponitur; cui non opponitur cruciatus & gloriæ negationem alicui efficaciter iure dominij à Deo decerni, & infligi, ſed, vt ſummum Dei bonitati, & benignitati opponeretur, Paritas rationis ſubiunctæ non vrget, antecedens ſiquidem probatur

ex iuſtitia diſtributiua Dei pro meritis, demeritiſque vniuſcuiuſque; quæ, cum in hac vita reſpectu iuſtorum, malorumque non exerceatur, aliam fore vitam in qua quiſque benè, malève geſtorum vicem accipiat ex iuſtitia diſtributiua Dei demonſtratur. Hoc vero in præſenti locum non habet, cum neque iuſtitia vindicatiua, neque diſtributiua, ſed Dominum Dei, iuſque vtendi pro libito re ſua ſcilicet creatura rationali, in gloriæ denegatione, & additione cruciatibus exerceatur, & ſanè vltra poſitam à ſe concluſionem de voluntate infligendi ea mala reprobis in pænam, ad hanc etiam ſuos hoſce diſcurſus hic Doctor extendit cit. n. 16. qui tamen, vt vidimus illam ſolum probant. Apparentior longè eſt aliorum omnium eius decreti, & voluntatis efficacis antecedentis demerita poſſibilitatem negantium ex crudelitatis ſpecie ratio petita, ac ſatis viuide exemplo illo ab Arriaga explicata de qua tamen videbimus ſtatim quid probet.

3. Cenſeo igitur cum communi Doctorum voluntatem efficacem, & decretum excludendi creaturam rationalem à gloria, eamque æternis cruciatibus addicens atque eius demeritum antecedens (dummodo in pænam & ſupplicium non ſit) eſſe omnino poſſibile: id quod, ni Deum abſolutè Dominum creaturarum rationalium negemus, negare nullatenus poſſumus: etenim abſolutum quodvis Dominium, & in ſolidum in rem quamvis eſſentialiter eſt ius & poteſtas vtendi pro libito Domini re illa in omnem eius vſum abſque iniuria alterius: ergo repugnat dari abſolutum dominium in rem aliquam in eo, cui poteſtas vtendi re illa in aliquem eius vſum denegetur: atqui creaturæ rationalis vſus aliquis eſt, à gloria excluſio & cruciatuum perpeſſio, ac perpetua deſtructio: ergo, ſi poteſtas vtendi pro libito creatura rationali, in eos etiam vſus, pro libito Deo denegetur, abſolutum eius dominium ei negatur. Dices dominium quidem Dei per ſe, & ratione ſui ad omnes vſus creaturæ illius rationalis, ac ſubinde ad enumeratos extendi, ac proinde nulli alteri in eis, nec creaturæ illi rationali in eis ius aliquod violari; id autem non tollere quo minus Dei bonitati, manſuetudini, benignitati, & miſericordiæ eiuſmodi vſus aduerſentur, & repugnent: quare, & ſi non ex alterius iure ex eis attributis debere ſibi eis creaturæ rationali vſibus abſtinere, tametſi ſuum dominium in illam per ſe & ratione ſui, ad eos etiam vſus, & ad reliquos extendantur, ſic diximus ſæpè Deum, etſi dominium abſolutum erga omnia creata habeat, nec poſſit amittere, poſito tamen decreto aliquid agendi, aut promiſſione alicui creaturæ facta aliquid ei præſtandi quoad eius ſubtractionem, aut negationem, vti dominio ſuo in rem illam non poſſe: licet ex decreto alteri, vt à Deo fiat, alterive ex promiſſione vt à Deo accipiat promiſſa non queratur, pareturque contra Deum: ſed quia ſibi ratione conſtantiæ & fidelitatis, ſuæ ſemel decreta exequi neceſſario debet, ac ſemel promiſſa præſtare. Sed contra: quia cum bonitas, benignitas, & miſericordia Dei in actu primo accepta attributa libera Deo non ſint, ſed omninò neceſſaria, atque cum Deo eiuſque dominio ad conuertentiam dicantur, ſi realiter vſum dominij Dei erga creaturam aliquam ſeipſis reddant impoſſibilem ipſius in illam dominium & poteſtatem ad vſus omnes creaturæ decurtant, cum eos reddant re ipſa Deo impoſſibiles, ad quos, vt tales, nullum reale dominium eſſe poteſt: aut vera poteſtas, cum autem ex libero aliquo actu voluntatis diuinæ vſus aliquis impeditur, vt decreto, aut promiſſione diuina illis ipſis actibus dominium Dei in creaturam decretam, & promiſſam exercetur, eius negationi, aut ſubtractioni repugnans, rationi illorum attributorum, non ſecundum ſe ſumptorum: ſed ex ſuppoſitione liberæ voluntatis Dei faciendi aliquid, vel præſtandi, quod quidem ex dominij Dei in rem præſtandam vel faciendam deſcendit: appoſitione autem exercitij dominij, aut poteſtatis cuiuſvis actum oppoſitum dominij eiuſdem impediri clarius eſt, ac frequentius, quam, vt egeat probatione.

4. Probatur ſecundo: quia Deus ad decernendam, volendamque efficaciter gloriam creaturæ rationali ante illius merita, atque prorſus independenter ab eius meritis, potens, liberque eſt libertate, non ſolius contradictionis, quam aduerſarij in Deo non admittunt, ſed contrarietatis etiam, quam admittunt omnes: ergo & eſt potens à ſe ſe & independenter à demeritis creaturæ rationalis ad decernendam, volendamque efficaciter negationem gloriæ eidem creaturæ: conſequentia probatur; quia poteſtas libera & contrarietatis circa obiectum idem, eiuſque debet eſſe ad actus poſitiuos, & incompoſſibiles, cuiuſmodi non ſunt actus efficax obiecti, & inefficax negationis eius, vt patet, qui ſimul eſſe abſque dubio poſſunt. Antecedens eſt omnium ſententia ratione dominij Dei in gloriam ſuam perſpicua, & ab his Doctoribus, contra quos agimus, admiſſa: ſiquidem gloriam prædeſtinationis decerni poſſe, intendique efficaciter aiunt tripliciter; vel ob merita præuiſa, vel cum reſpectu ad illa, ſcilicet, ad gloriam, vt coronam, vel tandem ſecundum ſe ſolam abſque vllo reſpectu ad merita: tametſi hoc modo abſolutè à Deo intentam, ſub libertatem, & meritum eius, cui ita efficaciter à Deo intenta fuerit, venire illam, ſaltem quoad ſubſtantiam, non poſſe, bene fateantur. Tertiò: ni Deus pro ſuo arbitratu ſolum, independenter omnino à meritis, & reſpectu omni ad ipſa, ex ſolo dominio ſuo in gloriam velle efficaciter, ac præſtare poſſit, nec poſſet illam dependenter à meritis, & cum reſpectu ad ipſa, vt præmium, coronamque efficaciter intendere, ac præſtituere: ſiquidem, cum gloria hæc, eiuſque donatio in alterius dominio & poteſtate ſecundum ſe, & entitatiuè ſumpta non ſit: nec in præmium præſtitui intendique efficaciter, decernive queat, niſi entitatiuè, & ſecundum ſe ſumpta eius donatio, veræ alicui poteſtati, & dominio ſubiaceat, cum eius donatio in præmium ipſius ſecundum ſe, & ſecundum ſubſtantiam donationem includat: ergo poteſtatem donando gloriam abſolutam, ſecundum ſe, entitatem, & ſubſtantiam ſuam independenter à meritis ex dominio Dei abſoluto in ipſam ſupponit intentio efficax, & decretum donandi illam in præmium, & coronam, quod non ſolum poſſibile ſed de facto etiam hi Doctores in Deo admittunt.

5. Hinc verò probatur facile Deum inferno toti cum cruciatibus ſumpto creaturam rationalem independenter prorſus à meritis, ac ſine vllo reſpectu ad ipſa è ſolo dominio ſuo abſoluto in ipſam, cruciatuſq; illos poſſe abſolutè deſtinare: cum enim gloriæ priuatio longe à Deo, ac penè infinite maius creaturæ rationalis malum ſit, quam cruciatus omnes poſſibiles ipſius, vt ea eſſentialis damnatorum pæna proinde à Patribus, & Theologis merito cenſeatur, cruciatus vero omnes accidentaria pæna, & acceſſoria illius principalis: & tamen Dei in gloriam ſuam, & rationalem creaturam abſolutum, plenumque dominium eius bonitate, pietate, benignitate miſericordiaque impediri non poteſt, quominus is dominij ſui vſus efficaciter amari, decerni, exercerique erga creaturam rationalem ſit abſolutè poſſibile; ergo nec poterit eiſdem impediri, quominus à Deo minus malus cruciatuum, erga creaturam rationalem vſus ſit Deo abſolutè poſſibilis. Hoc tamen Dei bonitati, benignitatique ſcriptura, Patres, & Theologi concedunt, deferreque omnes debemus, vt niſi ex Deo eiuſdem reuelatione illum poteſtate abſoluta, ac dominij iure inferendi tantum malum, ſiue poſitiuum, ſiue priuatiuum creaturæ rationali immerito vſurum nunquam, opinemur, vt doctè animaduertit Vaſquez noſter relatus, quæſt. 1. certamine 3. numero 7. ac proinde cum nulla de eo, ſed potius de oppoſito reuelatio adſit, vt eadem quæſt. certamine 2. numero 9. oſtendebamus: eam voluntatem efficacem in Deo non eſſe tenendum omnino eſt. Ad illud de cane quotidiè non citra crudelitatem à ſuo Domino in dominij ſui exercitium, & oſtenſionem ſemiſſando, inde eſt: quod moraliter vix ſine delectatione, & iucunditate in eius cruciatibus, & querulis latratibus ſine vi... latibus percipienda (quod dici ſolum animi eſt, & crudelis) ob ſolum exercitium ſui in miſerum canem dominij haberi vnquam poſſit. Tum quia, cum humanum dominium in vſus domini vtiles ordinetur, in eiuſque cruciatibus vtilitas nulla Domini inueniatur, niſi ex eis capienda voluptas illorum in canem ſuum inflictione, merito crudelitatis argueretur: dominium autem Dei in creaturas ad vſus earum ipſi vtiles, neque eſt.

ORTEG. In I. part. D VIa. 17

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

eſt, neque eſſe poteſt: poteſtque ſe facile continere, ne de creaturæ rationalis æternis malis, qua talibus, delectetur, ſed ſola exercitij illius honeſtate abſque vlla crudelitatis ſpecie amari à Deo efficaciter poteſt. Denique voluntatis huius efficacis poſſibilitatem oſtendemus ad hominem contra aduerſarios, qui voluntatem efficacem excluſionis à regno, & æternæ damnationis rationalis creaturæ in ſupplicium, & pænam peccatorum ante eorum abſolutam ab ipſo poſitionem, & præuiſionem eſſe abſolutè poſſibilem, durius adhuc, diriuſque admittunt.

6. Aduertit vero Arriaga, ſectione 2. citata num. 8. in quæſtionis explicatione, præfatam voluntatem efficacem excludendi aliquem à gloria independenter prorſus, & ſine vllo reſpectu ex parte obiecti etiam, ab eius demeritis è re quæſtionis præſentis non eſſe: cæterum, cum ipſe quæſtionem hanc eodem modo, & ſenſu intelligendam, tractandamque ibidem dicat quæ electió efficax ad gloriam ante abſolutè præuiſa prædeſtinati merita ab ipſo, & Theologis reliquis intelligitur, atque tractatur: ea vero quæſtio, cum ab ipſo Arriaga, tum à reliquis Theologis tractetur, atque intelligatur tripliciter ex parte obiecti. Primo præſcindendo ex parte obiecti à meritis, & omni reſpectu ad ipſa, & ad ſolam gloriæ collationem, nihil de meritis, aut eorum negatione attendendo, vt donanda prædeſtinato gloria in executione ſit, cui reſpondet voluntas, ſeu intentio efficax excludendi hominem à gloria, ipſumque damnandi æternis cruciatibus, præſcindendo ab eius demeritis, eorumve negatione, de qua hactenus egimus: ergo & huic etiam examen, deque eius poſſibilitate, & facto ad quæſtionem præſentem ſpectat, immo vero ſolo hoc ſenſu quæſtio præſens de præcedentia de facto, aut de poſſibili voluntatis, ſeu intentionis efficacis excludendi creaturam rationalem à gloria, eamque æternis cruciatibus addicendi antecedenter ad abſoluta, & præuiſa eius demerita, ac ſubinde ad reprobationem ipſius à gratia efficace, cuius defectu abſolutè, certóque peccabit, locum habere poteſt: ſiquidem ſenſu alio de intentione efficace excludendi illam à regno, eamque cruciatibus illis addicendi in pænam formaliter, & formale ſupplicium peccatorum non in gloriæ excluſionem, & dolores illius æternos ſolum, ſed in demerita, & peccata ea voluntas efficaciter feretur, vt cert. 2 videbimus: ſed in ſenſu hoc intentionis efficacis de damnatione æterna rationalis creaturæ, vt damnatio propriè, ſeu pæna, & ſupplicium eſt, in quo ſolo ad præſentem quæſtionem ſpectare cenſet Arriaga. Doctorum ſententias videamus, cum de facto, tum de poſſibili, vt noſtrum poſtmodum iudicium in vtraque quæſtione feramus.

## CERTAMEN II.

### *In quæſtione de facto Doctorum placita referuntur.*

1. IN quæſtione de facto eiuſmodi intentionem de excluſione reproborum à regno, & æterna ipſorum damnatione ob peccata pro poſteriori naturæ ab eis admittenda, ac ſubinde vt pæna (damni tamen, non ſenſus) & ſupplicio in finem oſtentionis iuſtitiæ ſuæ efficaciter pro priori ad abſoluta demerita intentum, efficacem quidem illam admittunt Dominicani aliquot Thomiſtæ Bannez 1. p. quæſtione 23. articulo 3. dub 2. vbi, & Zumel. Aluarez de auxil. d. 77. §. *Supponendum eſt quarto*, teſte Ioan. Præpoſito ad citatum articulum, & d. 110. apud Herize d. 33. c. 1. à numero 4. in quem relatis eius quinque concluſionibus non immerito inuehuntur ipſe, & Arriaga. Prima enim eius concluſio eſt: *Dari in Deo voluntatem poſitiuam abſolutam excludendi reprobos à regno ante ipſorum peccata abſolute poſita, & preuiſa*: intelligit autem efficacem ordine intentionis abſolutæ intentioni efficaci dandi gloriam prædeſtinatis ante eorum merita abſolute præuiſa, ab ipſo, & aſſeclis afferre omnino aduerſam: illi vero concluſioni primæ quinta hæc eiuſdem contradicit: *Reprobationem quantum ad vltimum eius effectum, ſeu excluſionem à regno, & punitionem cauſam neceſſariam ex parte reprobi habere peccatum, ſiue originale, ſiue actuale abſolutum eius à Deo præſcitum: vt niſi eo præuiſo aliquem, non ſolum executiue, iuxta fidei dogma, ſed neque intentiue poſſit abſolute, & efficaciter eis pœnis illos velle punire*: verba Aluarez his ſuis concluſionibus propemodum ipſa ſunt: ipſiſſimæ vero ſententiæ ſibi contradicentium concluſionum. Primæ autem concluſioni præter Thomiſtas datos expreſsè aſſentiuntur Durandus, in 1. d. 40. quæſt. 2. num. 6. Duchard. d. 41. articulo 3. quæſtione 1. Goncalez Albelda ad articulum citatum, vbi diſcalceatus curſus Carmelitus tract. 5. d. 8. Ioan. à Sancto Thoma d. 10. articulo 1. Horum ſententiæ, ex aliis tamen principiis vnus ex noſtris acceſſit, Granados 1. p. tract. 6. d. 2. ſatis fusè, & tract. 8. d. vn. ſect. 7. ex parte etiam Corduba. 1. quæſtionar. quæſt. 56. notat. Scoti præceptoris ſigna in negotio reprobationis ſequutus; niſi quod in eorum primo ante abſoluta opera, ac demerita reprobi docet Deum decreuiſſe poſitiuè illum à regno excludere, non autem pæna ſenſus punire.

2. Faſolus ad citat. quæſtion. 23. articulo 3. numero 3. vt eſſentiam explicet reprobationis, tot intellectus, & voluntatis Dei actus recenſet, vt rem potius confundat, quam expediat: pauculis enim explicatior reperit, atque ad ferendam ſententiam mens expeditior, vt ex dictis claret numero vero 6. ait, in primo ſigno, quo ante præuiſa merita prædeſtinatis gloriam efficaciter voluit, non negatiuè ſolum, ſed poſitiuè etiam ſe habuiſſe erga reprobos Deum volendo ſcilicet, etſi non ita efficaciter illis gloriam. Notat verò numero 10. contra Durandum non eſſe pro illo ſigno voluntatem efficacem: immò neque abſolutam excludendi eos à gloria ne voluntati abſolutæ de ipſorum ſalute aduerſetur, ſuæque pietati deficiat; ſed ſolum excludendi illos ab electione efficace ad gloriam, eamque voluntati negandi infallibiliter gloriam neceſſario docet præcedere, atque voluntati negandi media efficacia & infallibilia ad gloriæ conſequutionem. Hanc verò doctrinam tanquam Scoti abſtruſam mentem, à ſéque in apertum deductam venditat ex 1. ſententiar. d. 41. q. 1. §. *ſed dici poteſt*, & ſub quæſtionis finem, vbi voluntati illi poſitiuæ excluſionis reprobi à regno, efficacique voluntati ad illud videtur problematicè ſaltem, & tanquam probabili ſibi ſententiæ aſſentiri: quod poſſet fortius confirmare Faſolus ex §. *poteſt aliter* quæſtionis eiuſdem. Cæterum pro ſigno illo antecedente demerita abſoluta reprobi nihil Deum poſitiuè circa eius à gloria excluſionem voluntate ſua agere ex Scoti mente, & ſententia concors interpretum, & ſcholæ ſuæ Doctorum ſententia eſt; quin ex memoratis eius textibus mens eius in oppoſitum pertrahi poſſit, aut induci: in eis quippe diluendi argumenta ſibi oppoſita non vnam ſolum eſſe viam oſtendit, ſed multiplicem, nec eam tantum, quæ ex doctrina deciſionis ſuæ ad quæſtionem, & difficultatem, quam ex inſtituto verſat aperitur: ſed de mente Scoti rigidè agemus numero proximo, in Faſoli vero noſtri doctrina diſplicent nonnulla. Primum, quod ad idem ſignum voluntatis diuinæ reprobationem, eiuſque initium, & prædeſtinationem aliorum, ipſiuſque initium cenſeat pertinere (in quo & Theologi alij peccarunt) cum tamen certum, ac de ſe conſtans ſit reproborum reprobationem, & prædeſtinationem: immò vnius prædeſtinationem, ac prædeſtinationem alterius diſparate ſe habere: quare neque vtrarumque initium, idem eſſe poteſt, tametſi eodem modo in omnium reproborum ſingularium reprobationum decretis, & in reprobatione vniuſcuiuſque, ſicuti, & in decretis prædeſtinationibus vniuſcuiuſque, atque omnium prædeſtinatorum, dum de ſpeciali in aliquorum, ſiue reprobatione, ſiue prædeſtinatione diſponenda, ordine ex ſcriptura, & Patribus non conſtiterit, cenſendum prudenti, & cordato Theologo ſit: diſplicet ſecundo poſitiua illa voluntans antecedens, & decretum non eligendi efficaciter reprobum ad gloriam, quia omnino ſuperfluit ſolaque omiſſione efficacis voluntatis ex contradictionis liber-

tate quam (Deo adeſſe oſtendimus) reliquæ voluntates ad reprobationem neceſſariæ æque bene procederent. Et quantùm ad eius antecedentiam voluntati efficaci denegandi auxilia efficacia, ſeu media infallibilia ad gloriæ conſecutionem neſcio quo pacto illam docuerit Faſolus, qui cum noſtris omnibus voluntatem conferendi auxilia efficacia prædeſtinatis ex inefficaci ſalutis eorum intentione prouenire poſſe conſtanter etiam affirmat: quare & ſimili alia inefficaci voluntate non eligendi efficaciter, & infallibiliter reprobum ad gloriam poſſent ei & auxilia efficacia ipſi denegari, & ſufficientia tantum conferri.

3. Sed ad Scoti mentem, & ſententiam veniamus, quam Vazquez ex eius textu, diſcipulis, & ſcholaſticis, vel coætaneis, vel vicinioribus palam fecit, docuit ergo Scotus loco citato in primo ſigno omnibus prædeſtinandis, reprobandiſque propoſitis, primos elegiſſe efficaciter ad glorias, erga ſecundos mere negatiue, ac pure omiſſiue, quoad electionem ad gloriam, vel ipſorum à gloria excluſionem ſe habuiſſe in ſecundo ſigno elegiſſe primos ad gratiam efficacem perſeueranter; circa ſecundos autem etiam in ordine ad gratiam pure negatiue, & omiſſiue ſe geſſiſſe. In tertio ſigno præfiniſſe his permiſſionem lapſus in mortale perſeueranter; ex qua, imo, & ex duabus omiſſionibus anterioribus electionum ipſorum ad gloriam, & ad gratiam, vidit illos abſolute, & perſeueranter peccaturos: eiſque negationibus, ſeu omiſſionibus, & permiſſiua præfinitione ſigni tertij eorum reprobationem conſtituit in quarto ſigno ex præuiſione præfata peccati perſeueranter futuri ita iam à gratia efficaci reprobum reprobat efficaciter & punitiue à gloria deputatque cruciatibus æternis. Contrà verò duabus electionibus efficacibus ad gloriam, & ad gratiam efficacem iam prædeſtinatum & bene, ac perſeueranter operaturum præuiſum, præmiatiue, & executiue elegit ad gloriam. Sequuntur Scotum Baſſolus in 1. d. 41. q. 1. a. 4. & Scotiſtæ reliqui Corduba excepto, vt vidimus. n. 1. fine, eius tamen loco Scoto adhæſerunt Thomiſtæ plures memorati à Vaſquez. d. 95. c. 1. n. 7. 5. *Scotum ſequuntur*, quod ſuauior ipſis omiſſio electionis efficacis ad gloriam erga reprobos eorum meritis anterior quam efficax voluntas excluſionis ipſorum à gloria viſa, & optimo quidẽ iure, videretur. In hac porro doctrina, & ordine decretorum Scoti plura Vazquez, & alij immerito reprehendunt. Primũ negationes & omiſſiones electionem reprobi duorum ſignorum puras, quas in Dei voluntate iudicant impoſſibiles. Oſtendimus autem controu. 4. de voluntat. d. 4. q. 3. cert. 2. omiſſiones puras, ac ſubinde libertatem contradictionis diuinæ voluntati negari non poſſe, quin, & voluntati creatæ ex defectu cauſæ exemplaris, & diuinæ omni effectui poſitiuo, nec pure defectui, ſiue effectui defectiuo ſolum creato neceſſariæ, denegentur. Qua in re cauenda aduerſariorum fallax æquiuocatio eſt: quod nempe Deus erga abſolutas negationes rerum ſuſpenſiue ſe haberet. Neque enim pura ſuſpenſio voluntatis eſt, eius circa obiecti appoſitionem libera, ac deliberata omiſſio: quæ, ſi eſſentialis, adhuc partialis obiecti eius voluntas ſit, adæquata negationis abſolutæ eiuſdem obiecti cauſa erit, vt ſæpe oſtendimus, ac de ſeſe patet. Sed eo principio dato: cum Scotus ſigno ſuo tertio voluntatem permiſſiuam peccati, ſeu denegandi gratiam efficacem deſignet: & in quarto ſigno voluntatem etiam poſitiuam, & efficacem denegandi gloriam reprobo, vtriuſque negationis voluntatem poſitiuam, & efficacem à qua abſolute cauſentur deſignat; tametſi pro anterioribus duobus ſignis non adſint. Neque enim (ipſo Vaz. fatente. n. 9.) voluntas poſitiua neceſſaria in Deo, vt in ſuo modo negatio alicuius creati in rebus abſolute ſit, atque à Deo cauſetur in omni anteriori ſigno eſſe debet, ſed ſatis eſt, vt ſit in poſtremo, anteriori ad rei abſolutam negationem. Id quod abſolute verum eſt, & patet, contra eundem Vazq. n. 10. §. *quare, id quod* tametſi poſitiuum permiſſionis decretum pro illis ſignis prioribus haberi à Deo abſolutè poſſit vt poſſe haberi Scotus admittit: quia etſi potens ad permiſſionis decretum, eiuſque omiſſionem pro eis ſignis prioribus ſit; cum tamen ad neutrum pro illis ſignis ſit determinatus Deus poteſt pro illis præciſiue ſe habere, differreque ad vlterius, etiam poſtremum ante negationis abſolutam poſitionem ad illam apponendam voluntatis ſuæ determinationem.

4. Aliundè vero numerus, & ordo ſignorum Scoti nobis diſplicuit. Primò, quod ad idem ſignum negatiua reprobatio à gloria & efficax electio ad gloriam ante præuiſa abſolutè merita vel reproborum, vel prædeſtinatorum reuocetur: omiſſa enim nunc impoſſibilitate antecedentis electionis prædeſtinatorum ad gloriam propter merita, & vt coronam donandam (de qua ſupra) quod ad rem ipſam attinet, negatiua illa reprobatio à glotia: immò, & à gratia efficaci, atque electio efficax tam ad gloriam, quam ad efficacem gratiam omninò diſparat, & impertinenter ſe habent, aut iure nequeunt ad idem prius, & ſignum naturæ pertinere: vt num. 2. contra Faſolum dicebamus: qua in re magis nobis Faſolus, quam Scotus diſplicet: quia num. 8. non ſolum ad idem ſignum, ſed ad eundem actum liberum Dei poſitiuam electionem prædeſtinati ad gloriam, ſeu gratiam efficacem, & poſitiuam reprobi excluſionem docet pertinere dixi, *quod ad rem* attinet reprobationis & electionis: quia quod ad denominationem electionis vnius præ alio non ita impertinenter ſe habent vt vnius electio, atque alterius non electio, ſeu reprobatio in Deo eſſe non debeat, non tamen vtraque eſſe debeat pro eodem naturæ ſigno, & priori: hoc ſenſu Patres prædeſtinationem, cum reprobatione aliorum coniungunt, illam electionis nomine vocantes: quorum teſtimoniis Faſolus præſertim deceptus eſt, vt de re prædeſtinationis, & reprobationis ſententiam illam ſuam doceret, ad rem autem ipſam oſtendimus ſupra ne prædeſtinationem quidem cunctorum prædeſtinatorum in eodem priori, & ſigno naturæ habitam à Deo fuiſſe, nec potuiſſe: cum quorumdam exiſtentia ipſorum prædeſtinationi, & deſtinationi, ſeu electioni ad gloriam neceſſario antecedens, ac ſupponenda poſterior natura, aliorum prædeſtinatione, ac deſtinatiune ad gloriam ſæpè fuerit: quod ipſum de reprobatione, vel poſitiua, vel negatiua, ſiue à gratia effica ci, ſiue à gloria eadem ratione probatur: ergo nequit cunctorum ſiue ad gratiam efficacem, ſiue ad gloriam deſtinatio, & electio, ſimultum excluſione, ſiue poſitiua, ſiue negatiua ab alterutra ad idem ſignum, ac prius naturæ pertinere: ſecundo diſplicet tertium illud ſignum decreti permiſſiui peccati erga reprobum habiti de facto, quia otioſum, ac de ſuperfluo poſitum eſt: cum enim pro ſecundo ſigno Scotico ex negatiuis illis excluſionibus & à gratia, & à regno ſcientiam mediam de futuritione conditionata vel conſenſus, & regni, vel negationis vtriuſque ſub auxiliis prædeſtinato cuivis decretis ac reprobo expoſitiua, vel negatiua voluntate denegandis, vt opus fuit ad prædeſtinandos, quos pro eo ſigno et omnibus liberè ac prudenter prædeſtinauit, & non prædeſtinandos, quorum prædeſtinationem pro eodem etiam ſigno liberè omiſit: certè pro eoſigno ſat ſcientiæ & poteſtatis abſolutæ habuit, vt hos non negatiuè ſolum ſed poſitiua etiam voluntate à gratia efficace excluderet, ac poſitiuè reprobaret decreto peccati permiſſiuo: ſicuti ſatis habuit ſcientiæ & poteſtatis, vt poſitiua voluntate alios ad efficacem gratiam deſtinaret, ac prædeſtinaret: ergo de ſuperfluo, & otiosè tertium illud ſignum naturæ ad poſitiuam voluntatem, & decretum negationis auxiliorum efficacium, ſeu permiſſionis peccati inducitur à Scoto, & expectatur: etſi enim ex ea ſcientia, & poteſtate pro illo ſecundo ſigno ſibi adſtante ad determinandum ſe ad altervtrum pro illo ipſo ſigno non cogatur Deus, ſed poſſit determinationem ad poſterius aliud ſignum abſolute differre, aſt cum pro illo ſecundo ſigno poſſit abſolutè determinare ita factum cenſere debet in quæſtione de facto, ni ex reuelatione, aut incommodo Theologico (quæ hic abſunt) de ſuſpenſione pro illo ſigno, & dilatione determinationes ad ſignum poſterius nobis conſtiterit: ne fruſtra per plura ſigna factum admittamus, quod per pauciora fieri de facto potuit admittatur: immo vero cum poſitiua prædeſtinatio aliquorum ad efficacem gratiam pro illo ſecundo ſigno, atque non ſolum præciſiua omiſſio poſitiuæ ſimilis prædeſtinationis erga reprobos, ſed & negatiua (vt iam ex eius doctrina oſtendam) à Scoto admittatur: iam in negatione gratiæ efficacis reprobis determinatio voluntatis diuinæ pro illo ſecundo ſigno admittitur: quid ergo obeſt, vt circa eiuſdem gratiæ efficacis negationem pro eodem ſigno ſecundo poſitiua determinatio fuerit.

5. Secundo

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

5 Secundo decretum hoc permiſſiuum peccati, ac ſubinde ſignum illud tertium (quod illi decreto concipiendo inſeruit) ex doctrina Scoti eiuſdem impugnatur. Docet enim ex duabus negationibus diuinorum decretorum erga gloriam & gratiam efficacem reprobi cuiuſque quas in primo, & ſecundo ſigno poſuit præuideri à Deo lapſum reprobi perſeueranter: ergo ante illud tertium ſignum negatio gratiæ efficacis abſoluta ſupponitur futura: ea enim non ſuppoſita nequit lapſus abſolute, & permanenter futurus eſſe, ac præuideri. Inde infero vlterius: ergo nequit à Deo concipi poſterius natura decretum permiſſiuum peccati pro ſigno tertio; probatur conſequentia. Omne decretum de obiecto quouis deſiderium illius obiecti, & actiuum eſt: ergo repugnat decretum de obiecto aliquo quod anterius ad ipſum decretum abſolutè futurum abſolute ſupponitur, atque à Deo præuidetur. Patet conſequentia, quia deſiderium omne eſſentia ſua fertur in obiectum ſuum, vt fiat futurumque ſit, quod anterius ad ipſum factum futurumque abſolutè neque eſt nec præuidetur: ecquis enim quod præhabet atque abſolute futurum ſupponit vlterius, & poſterius; vt fiat, futurumque abſolutè ſit niſi inſipienter deſideret: ergo. Atqui negatio abſoluta auxilij efficacis (quod eſt obiectum voluntatis, ſeu decreti permiſſiui peccati omnium, & Scoti ſcientia) futura abſolutè eſt in, & ex ſecundo ſigno negatiuæ reprobationis, ſeu liberæ omiſſionis prædeſtinationis, & voluntatis conferendi gratiam abſolutam reprobo: ergo implicat concipi haberique à Deo pro ſigno poſteriori tertio decretum permiſſiuum peccati, ſeu negationis auxilij efficacis, quæ anterius ex omiſſione illa libera, ſen negatiua reprobatione ab auxilio omni efficaci in ſecundo, & ex ſecundo illo ſigno abſolutè futura ſupponitur, atque abſolutè à Deo præuidetur. Dices, omiſſionem illam voluntatis efficacis conferendi reprobo auxilium efficax non eſſe rigoroſam omiſſionem liberam, ac deliberatam, quare nec reprobationem negatiuam pro illo ſigno habitam, ſed ſolam ſuſpenſionem voluntatis conferendi, vel non conferendi auxilium efficax reprobo, vt pro eo ſigno mere præciſiue ſe habeat Deus, determinatione omni libera voluntatis ſuæ, ſiue poſitiua, ſiue negatiua tam circa auxilium efficax, quam circa eius negationem ad tertium naturæ ſignum reſeruata, vt fieri poſſe n. 3. & 4. dicebamus. Cæterum cum ex prouiſione pura voluntatis liberæ circa auxilium efficax, eiuſque negationem, nequeat negatio auxilij efficacis, quare nec reprobi abſolutus, & permanens lapſus adhuc tanquam ex partiali medio, aut principio inadæquate deduci, male Scotus docuiſſet, ex duabus illis præciſiuis tantum negationibus, ſeu omiſſionibus prædeſtinationis ad gratiam efficacem, & ad gloriam etiam in conſortio decreti ſui permiſſiui peccati, lapſum reprobi abſolute & permanenter futurum deduci atque abſolute fore à Deo præuideri, Scoti ergo explorata ſententia in duobus primis ſignis non ſolum omiſſionem electionis ad gratiam efficacem, & ad gloriam, ſed deliberatam omiſſionem electionis vtriuſque, ſine qua nec gratia efficax, nec gloria obtineri conſequente poſſibilitate, & poteſtate queat; ac proinde reprobationem negatiuam in primis illis ſignis conſtituit: quare nequit pro eius doctrina euaſio omiſſio tantum præciſiua pro illis ſignis tentari. Porro Baſſolus, & Scotiſtæ omnes ita Scoti Pręceptoris ſententiam referunt, & ſectantur, ac Thomiſtæ; quibus eam placuiſſe retulimus, Peſantins q. 23. citat. a. 7. d. 4. n. 4 & alij apud noſtrum Ioannem Præpoſitum eadem q. a. 3. dub. 4. n. 111. §. *ſecunda ſententia* vbi Scoti ſententiam hanc immerito tribuit noſtro Soario. 2. de concurſu Dei. c. 5. §. *Tertiæ obiectionis occaſione* & 1. p. lib. 5. de reprobatione c. 5. imo addit Soarium. c. 4. n. 5. admiſiſſe poſitiuam nolitionem eligendi aliquos ad gloriam, & ad gratiam efficacem anterius ad ipſorum demerita abſolute præuiſa. Deceptus autem valde deceptus eſt: ſiquidem Soarius conſtanter docet vbiuis, & ibi Deum ex inefficaci ſalutis reprobi intentione pro omni ſigno anteriori ad electionem mediorum ſufficientium tantum pro reprobo, atque eius demerita abſoluta, eum ad efficacia media pro eo eligendo abſolute liberum, & expeditum eſſe; cum tamen deliberata omiſſione anteriore eligendi ipſum ad gratiam efficacem, & ad gloriam, ſiue negatiua reprobatione (& multo magis poſitiua nolitione vtriuſque electionis) vtriuſque electionis anterius ad ipſas & demerita reprobi impos abſolutè & omnino impeditus eſſet.

## CERTAMEN III.

### *In quæſtione efficaci reprobationis à gloria reprobi de facto concluſio prima.*

1 NVllum reprobum excludit de facto Deus à gloria voluntate efficaci ante eius demerita abſolute præuiſa: ac ſubinde nec ea efficax & antecedens à gloria excluſio, reprobationis eius à gratia efficace cauſa eſſe poteſt ex parte Dei. Ita expreſſe. S. Thomas. in cap. 8. ad Roman. in ea verba: *quos præſciuit* & in cap. 9. lect. 2. fine q. 6. de verit. a. 2. ad. 9. ſer. 3. contra gent. c. 161. vbi Ferrara Caietan. 1. p. q. 23. a. 5. §. *ad. 4.* & fine. 5. *Aduerte* vbi reprobationem à gloria ſolius iuſtitiæ actum proprium eſſe docet, ac reprobi demerita abſoluta, neceſſario ſupponentem. Viguerius. inſtitution. Theologicar. c. 10. §. 8. Catherinus. 2. de prædeſtinatione, Orantius. 3. locor. catholic. c. 9. Stapleton. in cap. 9. ad Roman. verſu. 30. ex noſtratibus (Granado excepto) omnes Valētia. 1. p. q. 23. parte poſter. de reprobat. pu. 3. Molina ibidem. a. 5. concl. 1. Vaſq. d. 95. c. 4. 5. & 9. Soar. locis citatis, & 2. de auxil. c. 5. n. 5. & 6. ac lib. 5. c. 2. n. 4. c. 3. concl. 1. c. 6. n. 8 Becanus, 1. p. c. 15. q. 3. concl. & poſt tract. de prædeſtinat. & reprobat. c. 16. q. 1. Bellarminus de gra. & libero arbit. c. 16. §. *iam vero* 2. de amiſſione gra. c. 12. Herize cita. d. 33. Leſſius de prædeſtinat. ſect. 6. c. 5. & 6. Petauius c. 1. dogmatum Theologicor. lib. 9. c. 10. Monzæus. 1. de electione ad gloriam fine Ioan. Præpoſitus ſupra n. 112. Faſolus etiam ſupra, Arriaga etiam ſupra ſubſect. 3. Quiros. t. 2. de Deo vno. tract. 6. d 17. ſect. 2. n 6. Bruicz. de Montoia de prędeſtinat. d. 16. ſect. 16. n. 11. & ſi typorum errore huic noſtræ, & ſuæ concluſioni & probationibus ſuis videatur in terminis aduerſus hiſce verbis. *De facto Deus ad permittendum peccatum originale, & ad permittendum primum peccatum hominis iuſtè mouetur ex intentione efficaci oſtendendi iuſtitiam punitiuam.* Quibus hæc contradictoria immediate ſubnectit; *ſed primus præcognoſcit peccatum abſolute futurum, & dependenter ab hac cognitione vult efficaciter oſtendere iuſtitiam punitiuam.* omiſſum ergo typis fuit *non* præponendum verbo *mouetur* partis primæ ne concluſio tota in terminis implicet, ac probationibus eius ab authoritate ſubiunctis aperte aduerſetur. Pro ſua hac & noſtra concluſione citat præter relatos patronos Magiſtrum in 1. d. 40. c. vlt. Aureolum ibi. a. 1. & d. 41. a. 1. & Gregor. ibi. q. vn. a. 2. ad. 4. ac ibidem Heruæum, & Maiorem Henricum quodl. 4. q. 19. quodl. 5. q. 5. quodl. 8. q. 5. Sotum. in c. 9. ad Roman. digreſſione de prædeſtinat. pag. 277. Syluestrum in conflatorio Driedonem. 1. p. concordiæ liberi arbitr. cum prædeſtinat. c. 4. quos & alios à ſe relatos d. 15. ſect. 16. *tertia opinio*, ac n. 14. & 15. pro ſexta opinione, præ præſenti refert concluſione, quibus adde Scotum cum tota ſua ſchola, qui licet reprobationem negatiuam à gloria peccati reprobi abſolutæ futuritioni, eiuſque præuiſioni natura anteriorem in Deo admittant, poſitiuam vero anteriorem abſolutæ futuritioni, & præuiſioni fuiſſe conſtanter negant: denique cunctis memoratis adde Gamachæum de prædeſtinat. c. 12. §. *vltima reſtat. quæſtio*. Hacher. 1. p. 4 23. d. 4. concl. 5. & alios iam memorandos.

2. Porro cōcluſio hęc de facto cōtra voluntatem efficacem excludendi reprobum à gloria antecedenter ad eius demerita abſoluta, atque eorum abſolutam præuiſionem, & reprobationem à gratia efficace, ex fine oſtendendæ ſuæ iuſtitiæ punitiuæ in reprobos, vel prædiuitis miſericordiæ prędeſtinatos, (imo ex quouis alio fine ex quo haberi à Deo abſolute poſſit contradictorie decertat. Prima eius probatio ex Theologorū, totque ſcholarum conſenſu, & authoritate deſumitur. Maxime, cum ex eis proximo



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſeculo ſapientiſſime, accuratiſſimi dogmatum fidei examinatores defenſoreſque ſtrenuiſſimi, & acerrimi, non vtcumque probabiliorem, ſed fidei dogmata concernentem iudicent, ne ſine grauibus cenſuris affirmatiuam abire patiantur. Catherinus eam vocat. *Horribilem, & pias aures verberantem: ipſumque Auguſtinum eam deteſtari, vt impiam. lib. 6. Hypognoſticon.* Orantius de ipſa ait. *Quæ eſt Caluini & Bezæ, & aliorum hæreticorum noſtri temporis.* atque eam *Deum confingere atrocem, & ferocem.* Stapletonius. *Hunc fuiſſe execrabilem ſenſum Caluini Deum iniquitatis, & in iuſtitiæ arguentis.* Viguerius ſupra c. 20. verſu. 2. *repugnare cum diuina iuſtitia.* Qualterus ſæculo 17. ſuæ chronolog. anno 1600. c. 7. *hanc fuiſſe Sibrandi hæreſim referente Vuortio.* Bellarminus *Caluiniſticam* appellat; vti & Becanus cita. q. 1. vbi quatuor propoſitionibus doctrinam Caluiniſticæ prædeſtinationis ad gloriam proponit. Quarum prima, & ſecunda prædeſtinationem ſeu efficacem deſtinationem vnius ad vitam, & alterius ad mortem in Dei conſilia meritis, demeritiſue, ac præuiſioni eorum anteriorem amore Dei arbitrio, & libito habitam docent. Tertia vero, & quarta propoſitiones ex eis efficacibus deſtinationibus præparari ac diſponi media, quibus alter æternam vitam, alter vero æternam mortem infallibiliter incurrat. Deſtinationis vero ſeu prædeſtinationis ad gratiam, & gloriam, ſeu ad mortem & infernum voce, non quidē mediorum efficacium ad alterutrius conſecutionem, ſed alterutrius efficacem intentionem ex qua mediorum præparatiua voluntas tam efficacium quam ſufficientium tantum, meritaque ac demerita abſoluta poſterius natura proueniant. Tomo item. 1. opuſc. Theologicor. eandem Caluiniſticam prædeſtinationem ad vitam vel mortem æternam intentione illa efficaci alterutrius merita reprobi, demeritaue abſoluta prædeſtinati, & reprobi antecedente, & ex qua medio cum altervtro ſine intento infallibiliter coniungenda à Deo amentur; & proueniant contineri ſeptem Caluiniſtarum hac de re propoſitionibus adhibitis explicatius adhuc propoſuit. Soarius citatus præfatam efficacem Dei voluntatem excludendi reprobos à regno, & gloria ſua ipſorum abſolutis demeritis, ac præparationi ſubinde mediorum ſufficientium tantum ad eorum ſalutem anterius à Deo habitam *improbabilem, & alienam à ſana doctrina* cenſuit. Herize etiam *nulli Catholicorum illius defenſionem permittendam eſſe* docuit. Demum Scotus præfatis omnibus anterior in 1. d. 41 q. vn. verſu *ſecundum probatur* eiuſmodi efficacem voluntatem Dei de excluſione reprobi à gloria eius abſolutis demeritis anteriorem fore cenſuit crudelem.

3. Graues haſce affirmatiuæ ſententiæ cenſuras, ex grauiſſimis Doctoribus retulerim, vt negatiuæ noſtræ concluſioni authoritatem, quæ ex eis deſumi poſſit conciliem. Earum ſane pondus dupliciter eleuare contendit Arriaga cita d. 39. ſect. 1. ſubſect. 2. n. 11. Primo: quia poſſe Deum abſolutè futura, & præuiſa reprobi demerita velle efficaciter illum à gloria, etiam in pœnam, atque ex affectu iuſtitiæ vindicatiuæ; excludere probabile ipſe putauerat ſubſect. 1. §. 5. *Primo non poſſe*, & §. *Hinc infero.* Cēſuræ autem præfatæ *crudelitatis, iniuſtitiæ, horribilitatis, atrocitatis, ferociæ, impietatis* in eam Dei voluntatem, non ſolum in eam de facto habitam, ſed etiam in eam poſſibilem cadunt ſiquidem non minus Deo repugnat impia, attrox, ferox, crudelis, & iniuſta voluntas poſſibilis, quam actualis: cum tamen communi etiam Theologorum ſententia, & noſtra ſtatuta cert. 1. contra ipſum Arriaga abſque vlla ex præfatis nota poſſit Deus ante cuiuſuis rationalis creaturæ abſoluta demerita præuiſa eius à gloria excluſionem æternoſque cruciatus (dummodo in pœnam delictorum non ſit) efficaciter velle. Secundo cenſuras in Caluiniſticam prædeſtinationem ad mortem, non ob intentionem illam efficacem excluſionis à gloria reprobi abſolutis demeritis anteriorem, ſed ob præfinitionem materialis peccati in Caluiniſtica reprobatione contentam cuius à Thomiſtica præfinitione materialis peccati diſcrimen non examinat: verum, (vt à poſtremo ordiar.) Doctores præfati, duas illas voluntates efficaces Caluiniani erroris ſeorſim recenſentes ſeorſim etiam confutant, & propriis vnicuique cenſuris carpunt: & datis quidem excluſiuam reprobi à reo eius demeritis anteriorem, (de quo nunc) & ex qua ad materiale peccati præfinitio proueniat Primum autem nil pōleris ab authoritate prædictis cenſuris imminuit. Etenim, vt voluntas illa de facto admiſſa impia, feroxque eſſet ac iniuſta, ex adiunctis de facto circunſtantiis, ac non ex intrinſeca eius natura, & eſſentia poſſet prouenire, quæ proinde poſſent abſolute ab eiuſmodi voluntate abſolute ſeparari, ac deficere: quare ex eis defectibus in voluntate, quæ de facto eſt, non infertur omni Dei voluntati circa obiectum idem conuenire debere, quandoquidem abſque eiuſmodi circunſtantiis circa obiectum idem haberi à Deo voluntas abſolute poſſet, quod autem ex adiunctis, & circunſtantiis, quibus de facto eiuſmodi voluntas haberetur eos defectus de facto habita incurreret quos Patres, Doctores aiunt incurſuram, non autem deſeſe, ac natura ſolum ſua ſpectatam concluſionis probationes, & toto decurſu quæſtionis dicenda ſatis oſtendent.

4. Prima ac præcipua noſtræ concluſionis probatio petenda eſt ex impoſſibilitate intentionis efficaciſue voluntatis punitiuæ reprobante eius abſoluta demerita præuiſa ex fine iuſtitiæ ſuæ vindicatiuæ per eius à regno & gloria ſua excluſionem, & æternis cruciatibus additionem: ea enim impoſſibilitate ſtatuta, negatiua concluſio de facto ineuitabiliter, vt patet infertur. Sed tamen nunc argumentum hoc non perſequor; tum quia de eius voluntatis impoſſibilitate ſtatuenda certandum nobis erit, à cert. 5. tum quia concluſio præſens, non ſolum anteriorem de meritis voluntatem efficacem punitiuam intentiue per eius à regno excluſionem, ſed omnem aliam quamuis ex quouis alio fine à Deo poſſibilem; ex iure ſupremi ſui Dominij in omnem, etiam rationalem creaturam, de facto à Deo excludit, quare ex punitiuæ ſolum voluntatis anterioris ad merita abſoluta reprobi impoſſibilitate ex parte ſolum, non autem concluſio tota probatur. Probatur ergo primo. Quia admiſſa adhuc eius voluntatis excludendi gloria reprobum ad eius demerita abſoluta anteriori ex quo velis ſine poſſibilitate Dei tamen bonitati, miſericordiæ, benignoque ipſius in creaturas rationales Dominio debetur, vt niſi ex reuelatione, Patrumue diuino Spiritu afflatorum communi, conſtantique ſententia ita ſe erga rationales creaturas gerere Deum credi nec debeat, nec poſſit: atqui ita ſe Deum erga illas nullo ſcripturæ, aut Patrum teſtimonio, nedum conſtanti, & communi ſententia, conſtat, ſed potius oppoſitum: ergo nullatenus id à nobis aſſeri debet, aut poteſt. Maior probatur: quia id quod extra, ordinariam expertamque Dei prouidentiam vſumque dominij in creaturas rationales diuini extraordinario fundamento opus habet, vt aſſeratur de facto euenire: quemadmodum, vt aliquid aſſeratur de facto contingere, quod extraordinariam Dei prouidentiam, & vſum dominij ſui in creaturas irrationales, & naturales cauſas, & effectus vniuerſi: v. g. ignem fornacis Babylonici tres pueros non cremaſſe ni nobis ex ſcripturæ teſtimonio conſtaret aſſeri à nobis non poſſet, quia extra ordinariam Dei prouidentiam, vſumque dominij ſui in naturales cauſas expertum eſt: atqui voluntas illa excludendi rationalem creaturam à gloria efficax & eius de meritis abſolutis anterior, etſi ex aliquo fine, & iure dominij ſui ſit Deo abſolutę poſſibilis, eſt tamen extra prouidentiam ordinariam & communem vſum benignum, ac beneficium, vt expertum Dei erga rationales creaturas, atque ex Dei bonitate, & propenſione ad benefaciendum ſuis creaturis præſumendum à Patribuſque, & ſcriptura commandatum verbis illis quibus ſæpe *ſentire de Domino in bonitate iubemur*, ergo, vt ea voluntas credi in Deo aſſerique debeat, aut poſſit extraordinario fundamento ſcripturæ, conſtantiſue & communis Patrum ſententiæ opus erit. Minor primis ſyllogiſmi, ac ſimul ſecundi, probatur, quia nullo ſcripturæ, vel Patrum teſtimonio (nedum communi horum conſenſu) conſtat Deum ita ſe erga creaturam aliquam rationalem de facto gerere conſtat, imo vero oppoſito modo ſe erga rationales omnes creaturas gerere de facto Deum conſtat ex ſcriptura, & Patribus frequentiſſimis, vt patebit ex ſolutione corum, quæ ab aduerſariis inducuntur, & aliis irrefragabilibus, quæ reliquis noſtris argumentis adducemus.

5 Probatur Secundo. Deus de ſeſe, & ante abſoluta reprobi demerita non ſolum vere, & ſerio, ſed & ardenter ipſius ſalutem vult, vt ex ſcriptura, & communi, conſtantique Patrum monſtrauimus controu. 4. d. 4. q. 2. à cert. 2, ergo

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

2. ergo. eius excluſionē à gloria, & ſalute de ſeſe atq; ante abſolutam demeritorum poſitionem, & præuiſionem efficaciter nec vult de facto nec amat. Probatur conſequentia. Etſi enim voluntas inefficax obiecti cuiuſuis, cum efficaci voluntate negationis eius compoſſibilis abſolute ſit, neutraque proinde inferat negationem alterius in eſſendo; at in denominando illum qui vtramque habet voluntatem, voluntas efficax negationis obiecti præualet impedit inefficacem, vt illum volentem abſolute obiectum idem denominet, ita vt efficaci voluntate de oppoſito, & contradictorio obiecti inefficaciter ſolum voliti, inefficax eius volitio non ſolum nequeat ipſum abſolute volentem illud denominare, ſed nec ipſa abſoluta ipſius voluntas, ſed conditionata, & velleitas ſolum cenſeatur; & nominetur, vt patet in mercatore volente efficaciter & proiiciente merces in mare, vt imminentem mortem euadat, quas tamen inefficaciter, tunc etiam. & ardenter conſeruare, ac retinere deſiderat, & tamen non à deſiderio hoc ardenti inefficaci tamen, volens abſolute illas ſeruare, ſed potius à voluntate efficace illas in mare proiiciendi volens abſolutè illas proiicere denominatur, & aſſeritur: atqui Deus abſolutè eſſe volens reprobi cuiuſuis ſalutem denominatur, atque ab ſcriptura, & cunctis Patribus de ſe, atque ante abſoluta illius demerita præuiſa dicitur: ergo efficax voluntas Dei de ſe, & ante reprobi demerita abſolutè præuiſa de negatione ſalutis de facto à Deo abeſt. Confirmatur vrgentius. Non ſolum ita abſolutè volens reprobi ſalutem, ſed abſolutè nolens eius mortem ab ſcriptura, & Patribus dicitur Deus. Sapient. 1. Ezechiel. 18. & 33. 2. Reg. 14. Tobiæ. 3. Oſeæ. 13. Matth. 18. & 23. ad Roman 7. ac. 1. ad Timoth. 2. & 2. Petri. c. 3. & alibi ſcripturarum ſæpe. Ea vero teſtimonia voluntatem abſolutam (vt minimum efficacem Dei de ſeſe, atque anterius ad reprobi demerita, abſoluta præuiſa ex eius morte atque à vita æterna excluſione, negationeque æternæ ſalutis expreſſe negant, & affirmanti aduerſariorum ſententiæ contradicunt: ecquod enim expreſſiuſue velle propriorue, atque abſolutè talis voluntas mortis. & negationis vitæ & ſalutis reprobi eſſe poteſt, quam efficax de eius morte, & negatione ſalutis, & vitæ æternæ voluntas? confirmatur ſecundo, quia eis locis magis, potiuſque, quam reprobi mortem, eius vitam, & ſalutem æternam velle de ſeſe Deus dicitur. vnde etſi cum vitam, tum reprobi Deum de ſeſe velle, contra verba eorum teſtimoniorum prima, admittamus, æternam tamen mortem reprobi Deum de ſeſe efficaciter non velle euidententer deducitur. Etenim vitam, ſalutemque æternam reprobi inefficaciter ſolum velle de ſe Deum dogma Catholicum eſt: cum euidens de ſe ſit magis vnumquemque velle id, quod efficaciter vult, quod vult ſolum inefficacirer.

6. Probatur tertio ex ſtata Patribus & Theologis diſtinctione volūtatū Dei in prædeſtinationis ac reprobationis rationalium creaturarū negotio ſcilicet in voluntatē antecedentem, & primariam, ac beneplaciti Dei de ſeſe, & quæ nullam ex nobis, vitioue noſtro occaſionem ſumat vel motiuum, ſed è Dei ſolum natiua propenſione naſcatur; & in voluntatem Dei ſubſequentem, & ſecundariam, quæque ex nobis, noſtroque vitio ortum ducat, illudque ſubſequatur. Et primam quidem vitæ, & ſalutis æternæ noſtri omnium ſolummodo eſſe in Deo fatentur; ſecundam vero de æterna noſtra morte nonniſi poſt demerita noſtra præuiſa, ac proinde ſubſequentem eſſe in Deo admittunt. Chryſoſt. ſerm. 1. in epiſt. ad Epheſ. & Hom. 3. in Geneſ. vbi *Propter hoc etiam creaturam hanc omnem produxit, & nos formauit, non vt pereamus, nec, vt puniendos nos tradat, ſed vt ſaluet.* Damaſcen. dialo. contra Manich. verſ. fin. & 2. de fide c. 29. verſ. fin. quod ita concludit. *Non ad puniendos nos plaſmauit; ſed, vt efficiat nos bonitatis ſuæ participes, vt bonus; peccantes autem puniri vult, vt iuſtus.* Conſonat rationi diſtinctionis Auguſtin. de ſpiritu, & litt. c. 33. longe ab init. Hieronym. ad id Malach. 1. *Filius hon[illegible] patrem*, & ad id Ezechiel. 16. *Ero & tu confundere.* Epiphan. hæreſi. 66. Tertullian. exhortat. ad caſtit. poſt init. confirmatur vtraque ratio proxima elongamini & ad tempus multum perditiſſimorum etiam, hominum tolerantia diuina frequentiſſima totieſque in ſcripturis ſacris commendata. Niſi enim eorum pœnitentiæ ex ardenti ſalutis eorum deſiderio de ſe ſolum, & bonitate ſua præconcepto locum, ac tempus faceret Deus, nullatenus eos tandiu ſuſtineret; imo vero, ſi anterius ad reprobationem ipſorum ab efficace gratia, & peccati permiſſionem voluntate efficaci eos à regno excluſiſſet, voluiſſetque æternis cruciatibus mancipare morte inducta illico, ac peccarent primū eorum peccatum finale etiam foret cui ſtatim æterna damnatio executiua ſuccederet, vt quid enim plura exceptanda ad id exequendum quod anterius etiam adde meriti tanti motiuum efficaciter à Deo volitum à Deo fuit: vnum in huius argumenti confirmationem locum Pauli ad Roman. 9 producam in quo multum præſidij adeſſe ſibi aduerſarij arbitrantur. *Quod ſi*, inquit, *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit vaſa iræ apta in interitum*, &c. Si enim voluntas oſtendendi iram, efficax præſertim, peccatis eorum eſſet anterior, ſtatim atque vaſa in interitum apta peccato primo ſe effecerunt iram morte & temporali & æterna ſimul inducta magis oſtenderet; ſuſtinuit autem, quia poſterius ad contumacem peccandi perſeuerantiam, qua ſe iræ vaſa conſummata fecerunt, ſubſequentem iræ, & vindictæ ſuæ efficacem voluntatem, non vero anterius conceperat. Ita Chryſoſt. n 16. ad caput & verba recitata. *Quoniā vere longanimitate illa ad reſipiſcentiā* (iuxta Dei vtiq; volūtatē) nō vtebatur Pharao, ſed ſe ipsū apparabat in irā (nō dum ſcilicet à Deo conceptam) *vſus eſt illo Deus ad correctionem aliorum ſumpta, quam meruerat pœna. Non enim vult Deus ad eum modum ſuam ipſius potentiam notam facere, ſed magis alia ratione: nimirum, vt proſit, & benefaciat.* Oecumenius ad locum eundem. *Apparatus ad interitum: id eſt, ad hoc addictus, & preparatus, vt perire oporteret: manifeſtans, quod ipſe iræ Dei cauſa eſſet ſuæque ipſius perditionis. Nec enim Deus cauſa eſt malorum, ſed quiſque ſe ipſum vas efficit iræ; quemadmodum, & vas benignitatis, & miſericordiæ. Ita Pharaoni non Deus, ſed ipſius malitia fuit cauſa, vt pateretur, quæ paſſus eſt.* Conſonat Rupertus ad eum locum, & ſubiicienda argum. 4.

7 Arguo quarto ex coactione, qua Deus ad peccatorum vindictam inuitum ſe à nobis trahi potius, quam venire, ſignificat: nec ſine dolore, lachrymis, gemitibus trahi. Dedimus in hanc ſententiam ex ſcriptura & Patribus controu. 4. d. 4. q. 3. à cert. 2. pauca ideo memoranda ex illis hic erunt. Bernardi ſcilicet illa ex ſerm. 5. in natali Domini. *Ex ſe ſumit materiam, & velut ſeminarium miſerendi: Nam, quod iudicat, & condemnat, nos eum quodam modo cogimus.* Atque idcirco ait, *miſericordiarum, & non iudiciorum Patrem* merito nominari. Nazianz. orat. de plaga grandin. ſub Med. *Miſſa facta ira, quæ ipſius naturæ aduerſatur, miſericordiam quæ ipſi naturæ ineſt amplectitur. Ad illam enim à nobis vi pertrahitur. Ad hanc ſuaptè natura fertur. Igitur non, niſi coactus, percutiat*, &c. Saluianus ad id geneſis *clamor Sodomorum* &c. à Deo illos punituro dictum tantundem valere ait, ac ſi diceret *non fuiſſe voluntatis ſuæ, vt perderet, ſed quod ipſi extorſerint, vt perirent.* In quam ſententiam. 1. de prouidentia poſt med. & lib. 4. poſt initium plura eaque luculentiſſima ſcribit. Chryſoſt. Hom. 67. in Ioan. illud videns ciuitate fleuit ſuper illam ita in eandem ſententiam expendit. *Hæc dicit ſcriptura, vt noſtræ cauſa deſeri nos, & nobis ipſis perditionis noſtræ authores eſſe demonſtret. Deus autem non modo nos non dare relinquere, & punire vult, ſed quoties punit, inuitus punit.* Ex his autem tribus Dei (vt cadere in illum poſſunt) affectibus, coactionis, qua inuitus, triſtitiæ, ac doloris vehementis, fletu, & lachrymis ſolum in nobis explicati, nec ſatis expleti, quo dolens ad reprobi peccatoris ſupplicia æterna præſertim, punit, efficaciſſimum contra efficacem Dei voluntatem excludendi reprobum à gloria, æterniſque cruciatibus addicendi, eius abſolutis demeritis anteriorem argumentum deſumitur. Etenim nemo ad eius, quod anterius de ſeſe, atque efficaciter voluit, executionem venit inuitus, nec de eius executione, & euentu triſtatur, nedum ad gemitus vſque, & lachrymas dolet; ſed gaudet potius, fruiturque rei adeo vehementer deſideratæ poſſeſſione, vt experientia, & explorata & cunctis, etiam hebetioribus, horum affectuum natura patet. Ergo vel non adeſt Deo de ſeſe, atque anterius ad reprobi demerita abſolute futura, & præuiſa, efficax voluntas illum excludendi à gloria, æterniſque cruciatibus (ex quo

velis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

velis ſine mancipandi, vel crocodyli, vt aiunt in morem plorat, quos de ſeſe, ac ſuopte ingenio, & voluntate perdit, ac ſubinde eſt hominum aferrimus illuſor, atque omni circulapore fallacior, quæ ſunt blaſphema.

8. Id verò illuſionis, & circulationis peſſimæ vitium toties Deus incurrere deprehenditur, quoties ad ſe, ſuamque gloriam omnes vocat verbis illis *Venite ad me omnes*, &c. reprobos etiam, quos tamen anterius à ſe ipſo, & gloria ſua efficaci volũtate habet amotos. Tunc etiam, cùm dominica oratione verbis illis *adueniat regnum tuum*, vt ipſum enixe oremus, nos omnes hortatur. Tunc etiam, cum omnibus gloriæ ſuæ regnum indiſcriminatim in præmium proponit, & promittit: ſiquidem anterius ad plurium abſoluta demerita (reprobiorum ſcilicet) præpoſitæ promiſſæque in prœmium gloriæ aſſecutio ex ea efficaci voluntate eos excludendi à gloria facta eſt ipſis impoſſibilis, ac ſubinde de re impoſſibili & chimerica, & omnino illuſoria ipſis erit gloriæ in præmium propoſitio, atque promiſſio. Neque vero illuſio hæc, & circulatio vitabitur ſi dicas, Voluntatem illam efficacem excludendi reprobos à gloria anteriorum quidem abſolutis reprobi demeritis eſſe, ſed tamen propoſitione, & promiſſione gloriæ in præmium eſſe natura poſteriorem: quare pro eo promiſſionis ſigno poſſibilem abſolutè etiam reprobis eſſe, nec de re impoſſibili promiſſionem. Etenim illuſionis, & circulationis complementum adſequens proxime naturæ inſtans differs, non autem illam à Deo aufers, vt patet. Argumentum quintum contra affirmantem ſententiam ex euerſione diuinæ libertatis ad habendam voluntatem executiuam donandi gloriam meritis abſolutis, ſiue ob abſoluta reprobi merita reprobi petendũ eſt: quod euaſionibus argumenti alterius ab euerſione libertatis, & meriti reprobi, vt ob illud poſſit ipſi glora à Deo donari minimè patet: quamuis eas etiam ſimus deinceps præcluſuri: ſexto, Deum reproborum ſaluti maligne inſidiari conuincitur: dum ex ea excludendi illos à gloria, & addicendi eos cruciatibus æternis anteriore efficace voluntate, quænam efficacia media ad ſalutem, & quæ inefficacia ſint perquirit, ac deprehendit, atque ex ea ſcientia abſis efficacia efficaciter remouet, & inefficacia (tametſi abſolute ſufficientia) quibus certò, & infallibiliter à gloria in tartarum ruent, idque ex efficaci vtriuſque mali intentione, & voluntate prouidet ipſis: ita enim fieri neceſſe eſt vt eorum à gratia efficaci ex efficaci voluntate excludendi eos à gloria proueniat. Ecquid enim amplius ad malignas ſaluti reproborum inſidias & vtriuſque mali præparationem adeo requiritur? Probatur rurſus abſurdi huius illatio, quia non aliunde probatur Deum ſalutis prædeſtinatorum ſatagere, quam quia ex intentione ſalutis ipſorum, & ſcientia efficaciæ mediorum efficacia media, inefficacibus neglectis, eis eligi, diſponit, ac procurat: quod ſi efficacia intentionis gloriæ ipſorum ex qua efficacia illa media à Deo eligantur præparenturque, ac diſponantur prædeſtinatis requiratur, voluntati, ſeu intentioni excludendi reprobos à gloria, ex qua inefficacia media à Deo pro ipſis, eliguntur, præparantur, ac diſponuntur, efficacibus omnibus prætermiſſis, efficacia per aduerſarios aſſeritur.

9. Inde verò aliud contra affirmantem ſententiam abſurdum eſt procliue Deum nempe damnationis reprobi eſſe de facto authorem, tametſi reprobus ipſe ex parte ſua damnationis ſuæ ſibi author ſit, quod nunc omitto. Probatur abſurdum hoc primo à paritate & ratione eadem, qua Deus ſalutis, & gloriæ prædeſtinati author abſolute eſt, ac dicitur, tametſi prædeſtinato ad eius conſecutionem ſuas partes relinquat. Probatur ſecundo: ſi quis ſciens alterius præcipitium, ſi illac eat, atque ex ea ſcientia, & expreſſa efficaci, ex parte ſua voluntate ipſum vt illac eat dirigeret, præcipitationis illius cauſa, & author omnibus fatentibus, eſſet, tametſi ille alter & voluntate, & greſſibus ſuis præcipitationis ſuæ cauſa etiam, & author foret. Dixi Deum ruinæ in tartarum, caſuſque ſiue excluſionis à gloria Deum reprobo authorem cauſamque in affirmante ſententia fore; non autem inferri inde Deum peccati & amatorem eſſe, vt nonnulli arbitrantur: quia cõſequentiæ huius debilitas ex dictis d. proxima de peccati permiſſione in prædeſtinationis effectibus recenſenda facile deprehenditur. Omiſſo etiam ex ea anteriore, & efficace voluntate Deum manſurum determinatum antecedenter ad peccati perſeuerantis, & finalis reprobi permiſſionem, quod abſurdiſſimum reputant Recentiores; nos autem eam antecedentem Dei determinationem ad peccatum permittendum ex prædicatis Dei neceſſariis non proueniat, ſed ex libero aliquo voluntatis ſuæ actu nihil prorſus abſurdi continere oſtendebamus ibidem. Duo vero aduertenda hic ſunt. Primum argumenta præfata (ſicuti, & Patrum teſtimonia ſubiicienda) eandem prorſus vim contra affirmantem ſententiam, & pro negatiua noſtra habent, etſi pro eodem naturæ ſigno excluſio à regno, & permiſſio peccati, ſeu à gratia efficaci poſitiua reprobatio à Deo haberi aſſeratur, dummodo ante præuiſa abſoluta reprobi demerita ſit, vt tunc voluntas illa efficax excluſiua reprobi à gloria foret; tametſi reprobationis à gratia efficaci cauſa eſſe non poſſet, cum ad idem naturæ ſignum vtraque pertineret. Secundum eſt: ſententiam noſtram non ſolum teſtimoniis, ſed diſcurſibus etiam ipſis Patrum hactenus probatam eſſe: deinceps autem teſtimoniis Patrum concluſionem de facto noſtram in terminis eſſe probandam. Plura congerunt Valentia citatus. §. *Quarto probatur* Riez de Montoia, & præpoſitus citatis locis, quorum pleriſque promptam euaſionem video, quod de voluntate executiua damnationis reprobi, excluſioniſque à gloria, quam non niſi poſt merita eius abſoluta eſſe Catholice aduerſarij fatentur: & quamuis ad Patrum mentem ea interpretatio non ſit, ad germanam tamen interpretationem eorum admittendam non ita facile trahi aduerſarij poterunt nolentes, & inuiti, firmioribus ergo, etſi paucioribus, Patrum teſtimoniis agendum nobis contra aduerſarios erit, vt ex Patribus concluſio noſtra in terminis ipſis, atque omni diſcurſu ſemoto probetur. In iis forte numeranda imprimis videantur proſperi teſtimonia plura, quæ quia diſcurſu egent nonnullo, vt aduerſarios conuincant pro ſecunda concluſione ſtatuenda cert. 4. oportunius reſeruantur: tametſi indirectè primam hanc concluſionem ſatis probet, vt eo loco clarebit.

10. Primo ergo Auguſtinus in prædeſtinationis, & reprobationis negotio communis Magiſter epiſt. 105. ait. *Quærimus prædeſtinationis cauſam, nec inueniemus; reprobationis autem cauſam quærimus, & inuenimus.* Vbi reprobationem à gloria intelligit; reprobationis quippe ab efficaci gratia adæquatè ſumptæ, ex parte reprobi adhuc cauſa nec eſt, nec inuenitur: ſicut inuenitur reprobationis à gloria: quare eam ſolum reprobationem à gloria eſſe Auguſtinus aſſerit, quæ poſt abſoluta reprobi demerita eſt, & executiua ab aduerſariis vocatur, intentiua illa efficaci, & anteriore reprobi de meritis, & cuius ex parte reprobi cauſa nec eſt, nec inuenitur, ſicuti nec ad prædeſtinationem ex parte prædeſtinati, relegata omni reprobatione à gloria, quæ ex reprobi demeritis non ſit. Fuſius adhuc 6. Hypognoſt. ſub initium in eandem ſententiam ſcribit. *Quia vero iuſtus, & miſericors Deus, præſciuſque futurorum ex hac damnabili maſſa, non perſonarum acceptione, ſed iudicio æquitatis ſuæ, quos præſcit, miſericordia ſua gratuita præparat, id eſt prædeſtinat ad æternã vitam; cæteros autem pœna punit: quos ideo punit, quia, quid eſſent futuri præſciuit, non tamen ipſe fecit, vel prædeſtinauit puniendos.* Iterum ſub libri med. ſcribit. *Tenenda eſt inconcuſſa huius diſputationis regula, quæ diuinis teſtimoniis claruit: peccatores, antequam eſſent in mundo, præſcitos eſſe tantum, non prædeſtinatos* peccatores, ſiue ad paccatum; *pœnam autem eis prædeſtinatam, ſecundum quod præſciti ſunt. Paruulos quoque non renatos prædeſtinatæ pœnæ eſſe obnoxios, qui præſciti ſunt non propriis voluntatibus, niſi tantum in Adæ peccato, quod traxerunt naſcentes, & in hoc manentes, ſoluerunt tempus vitæ præſentis.* Proſper ad obiectiones Vencentianas reſponſ. ad vndecimam. Ait *ad prædeſtinationem eius nihil aliud referri poteſt, niſi quod aut ad debitam iuſtitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.* Anterior autem meritis reprobi efficax voluntas, de ipſius à gloria excluſione, nec ad gratiæ largitatem indebitam ſpectat, vt patet, nec ad retributionem, iuſtitiæ retributionem demeritorum quæ antecedit, cum non niſi anterioribus demeritis abſolutis præcedentibus iuſtitiæ debitæ retributio eſſe poſſit. Agit vero de prædeſtinatione vniuerſim

ſumpta

ORTEG. In I. part. D VIa.

ſumpta ſiue ad gloriam ſiue ad eius denegationem, & æternos cruciatus, vt ex immediatè antecedente textu conſtat. Qui ſic habet. *Nec illam* (reprobi) *animam nequiter, turpiterque victuram, ad hoc, vt taliter viueret præparauit, ſed talem futuram non ignorauit: & de tali iuſte ſe iudicaturum eſſe præſciuit.* Quibus contexuit. *Atque ita ad prædeſtinationem eius,* &c.

11. Eadem vniuerſali ſenſu de prædeſtinatione agens ad capitula Gallor. reſponſ. ad cap. 14. aiebat. *Prædeſtinatio Dei ſemper in bono eſt, aut ad retributionem iuſtitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ.* & reſponſ. ad. 2. obiectionem ex Vincentianis. *Quod multi pereunt, pereuntium eſt culpa; quod multi ſaluantur ſaluantis eſt donum, vt enim reus damnetur inculpabilis eſt iuſtitia Dei.* Conſonat Fulgentius 1. ad Monim. cap. 5. ad 7. c. 13. & 14. & c. 17. init. quæſtionem proponit: *an idcirco iniquos ad ſupplicium iuſte prædeſtinauerit, quia eorum mala opera, licet futura præſciret, non tamen ipſe prædeſtinauit, vt futura eſſent:* cui affirmatiue reſpondet, probatque vſque ad c. 24. vbi verſus med. hæc addit, *Oſtenſurus itaque Deus, quid reddendum præſciuerit, & quid donandam: prædeſtinauit illos ad ſuppliciũ quos à ſe præſciuit voluntatis malæ vitio diſceſſuros; & prædeſtinauit ad regnum, quos ad ſe præſciuit miſericordiæ præuenientis auxilio redituros, & in ſe miſericordiæ ſubſequentis auxilio eſſe manſuros.* Quibus ſolam deſtinationem ad malum ſiue priuatiuum, ſiue poſitiuum æternum reprobi poſt eius abſoluta demerita abſolute præſcita in Deo eſſe ſicut Auguſtinus, & Proſper, aſſeruit. Beda, lib. quæſtionum. q. 13. med. *Non eſt in diſpoſitione Dei, quomodo peccator peccet. Sed tamen cum ſciat eum peccaturum mortem ei præordinauit.* Non vtique antea. Inferius *prauitas noſtra ab æterno mala in conſpectu Dei præſentauit: Deus illam ad mortem æternam deſtinauit.* Poſterius ſcilicet, non anterius ad præſcientiam noſtræ prauitatis, Concil. Valentinian. ſub Lothario imperat. c. 3. *Confitemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & impiorum ad mortem. In electione tamen ſaluandorum miſericordiam Dei præcedere; in damnatione autem periturorum* (ſcilicet prædeſtinatione ad mortem, vt dixerat) *meritum malum præcedere iuſtum Dei iudicium quia Deus ſua prædeſtinatione,* ad vtrumuis, *ea tantum ſtatuit, quæ gratuita miſeratione, aut iuſto iudicio ipſe erat facturus.* Quibus expreſſe deſtinationem reprobi ad mortem, quæ poſt abſolute præſcita eius demerita non ſit aperte negat: quare executiuam aſſerit, intentiuam vero reiectat, inferiuſcule vero eidem ſententiæ inſiſtens ait. *Pœnam ſane malum meritum eorum* (reproborum) *ſequentem, vti Deum, quia omnia proſpicit, præſciuiſſe, & prædeſtinaſſe, quia iuſtus eſt iudex:* non aliunde nec titulo alio, quam iuſtitiæ ſuæ exercendæ, quæ demerita eorumque præſcientiam abſolutam plane ſupponit.

---

## CERTAMEN IV.

### *Negatiua etiam reprobatio à gloria reprobi abſoluta demerita antecedens Scotica ablegatur.*

1 Sit ſecunda in quæſtione de facto concluſio. Reprobatio Scotica negatiua reprobi à gloria demeritis abſolutis eius anterior in Deo non eſt, quare nec eius à gratia efficace reprobationem ex parte Dei antecedit. Certe concluſio hæc adeo frequens & expreſſa apud ſcripturam, Patres, & Theologos non eſt. Eam vero docet expreſſe noſter Ioan. Præpoſitus ſupra n. 114. verſu *dico ſecundo*. Atque à Proſpero etiam non ſemel expreſſam animaduerti. Ita enim ſcribit reſpõſione 3. ad capitula Gallor. *quod huiuſmodi* (homines reprobi) *in hæc prolapſi mala ſine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt* (ad gloriam, vt ex ſtatim adnexis hiſce claret) *ſed ideo prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præſciti ſunt* vtique abſolute, nam conditionate non eſſe tales futuri ſed obſecuturi, æque ac præuaricaturi ſub aliis auxiliis præſciti ſunt, vt patet, quare præſcientia præuaricationis cõditionata ſcientia ſub aliquo auxilio cauſa vt non prædeſtinarẽtur tam ad gratiã, quam ad gloriã cauſa in eis nõ magis fuit, quã nõ fuit in prædeſtinatis de quorum conditionata præuaricatione ſub auxiliis aliquibus ſcientia etiam conditionata Deo adfuit. Cum autem abſolutæ præuaricationis reprobi pereuntis ſcientia ſolam prædeſtinationem in mortem, ſeu reprobationem à gloria, ſiue poſitiuam, ſiue negatiuam per omiſſionem deliberatam, nec ſolum præciſiuam pro naturæ priori, ſed abſolutam non prædeſtinandi, ac eligendi reprobum ad gloriam poſſit eſſe antecedens: & Proſper aſſerat abſolutam præſcientiam præuaricationi reprobi eſſe cauſam negationis prædeſtinationis ad gloriã ſeu reprobationis negatiuæ, perditionis neceſſario qua pereunt, non autem negationem prædeſtinationis neceſſariæ eorum eiuſmodi negatione inducẽdæ ſaltem conſequẽte neceſſitate negationẽm prædeſtinationis ad gloriã, ſiue reprobationẽ negatiuã Scoticam demeritis reprobi anteriorẽ reiicit expreſſe: Si enim daretur, verum abſolutè eſſet reprobum perire, & neceſſario, neceſſitate ſaltem conſequente, perire, quia prædeſtinatus ad gloriam non eſt, falſum vero ideo eius prædeſtinationis negationem, & defectum eſſe, quia præuaricationis abſolutæ ea negatione poſterioris abſoluta præſcientia Deo adfuit.

2. Sententiam hanc Proſperi contra roprobationem Scoticam iterum lego apud eundem ad obiectiones Vincentianas reſponſ. 12. vbi hæc habet. *Quia præſciti ſunt caſuri non ſunt prædeſtinati; eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate, ac veritate permanſuri:* vbi de prædeſtinatione ad gloriam, eiuſque negatione, ad quas ſolum abſoluta meritorum, vel demeritorum eligendi, aut prædeſtinandi, ac non prædeſtinandi, ſeu non eligendi ad illam poteſt, vt proxime dicebamus inſeruire. Nec præſtat ſi dicas, Proſperum loqui vtrobique de electione ad gloriam, eiuſque negatione executiuis, non de priori, præſertim, negatione electionis, ſeu reprobatione negatiua priori natura, & quaſi intentiua: imprimis enim cum propoſitiones Proſperi negatiuæ ſint, non eſſe ſcilicet prædeſtinatos ad gloriam reprobos, quia ſunt præuiſi præſcitique perſeueranter caſuri; ac præuaricaturi; atque negatiua propoſitio vniuerſalis ſit, & quidquid poſt ſe inuenit deſtruat, remoueatque à ſubiecto vnum è duobus neceſſario ex ſentẽtia hac Proſperi infertur omnem ſcilicet prædeſtinationem ad gloriam, eiuſque oppoſitam negationem contradictoriam ante præuiſa merita, etiam intentiuam contra aduerſarios negaſſe; vel, quod verius, ac æque contra aduerſarios eſt, ſolam reprobationem negatiuam, ſiue negationem prædeſtinationis & electionis ad gloriam poſt præuiſa abſolute reprobi merita in Deo agnouiſſe, ac proinde ea negata propoſitionibus, & teſtimoniis datis omnemque Deo, de facto ſaltem, adeſſe iudicauit negaſſe, quod ſolum ſecunda hac concluſione contendimus. Atque eadem ratione præcluditur euaſio eadem propoſitioni alteri Proſperi teſtimonio primo contenti; *Non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt*, noſtræque ponderationi excludenda eſt, ſi adhibeatur. Tertia concluſionis huius ſecundæ ac primæ etiam & poſtrema ab authoritate, & efficax (etſi ab authoritate negatiua) probatio ſit: quia nullibi ſacræ paginæ, aut patrum anterior meritis, aut reprobationi à gratia efficace reprobatio eius à gloria, ſiue poſitiua, ſiue negatiua, alterutriuſue aſſertio vero ſimilis legitur vt è teſtimoniis aduerſariorum germana interpretatione, & ſolutione inferius ſubiiciendis clarebit: in quæſtione autem de facto eorum etiam quæ Deo poſſibilia ſunt, eſſe tamen, vel non eſſe abſolute poſſunt eſſe determinate de facto, abſque vllo ſcripturæ, & Patrum fundamento non niſi temere, ac pure diuinatorie aſſeretur, vt mittam, nec reprobationem à gloria ſiue poſitiuam ſiue negatiuam per merita vero mala reprobi de facto punitiue, & ex iuſtitia vindicatiua in pœnam executiue deneganda poſſibilem Deo eſſe, vt q. 4. oſtendemus.

3. A ratione probatur ſecunda hæc concluſio contra reprobationem de facto negatiuam à gloria abſolutis reprobi demeritis, eiuſque à gratia efficace reprobationi anteriorem, argumentis omnibus, quibus reprobatio-

nem poſitiuam efficacem, & eiuſdem anterioritatis ad demerita abſoluta reprobi, eiuſque ab efficace gratia reprobationem reiecimus cert. 3. à num. 5. Siquidem negatio prædeſtinationis ſeu electionis reprobi ad gloriam, nec ſola præciſio electionis illius pro ſigno illo, ſed libera, ac deliberata pro ſigno illo anteriori ad reprobi demerita electionis illius abſoluta omiſſio efficax eſt, & neceſſario connexa cum negatione electionis ad gloriam pro quouis ſigno & poſteriori naturæ ſequente, atque electioni eius efficaci ad gloriam neceſſariæ, vt gloria abſolute à reprobo obtineatur, contradicens & repugnans ne duplex contradictorius ſimul in Deo abſolute admittatur, tametſi pro diuerſis ſignis naturæ ex quorum diuerſitate contradictio nec vitatur, nec emollitur: quare ex illo anteriori ſigno deliberatæ illius omiſſionis electionis reprobi ad gloriam, ſeu Scoticæ reprobationis negatiuæ, quam impugnamus gloria reprobi eſt impoſſibilis, non minus, quam ex poſitiua eius à gloria efficaci & ita anteriore reprobatione, ex qua impoſſibilitate argumenta contra poſitiuam efficacem anteriorem de meritis reprobi reprobationem ab eo numero inſtructa procedebant, quare ea quiuis facile contra negatiuam hanc reprobationem traducet, quin nunc ait ſe, & inutiliter repetantur. Secunda concluſionis probatio (quæ etiam facit pro concluſione prima) à ratione fit, quam n. 3. fiae attigimus, quia vtraque reprobatio anterior à gloria ex iuſtitia punitiua non ſolum executiua, ſed & intentiua anterius ad reprobi demerita eſt impoſſibilis vnde à negatione poſſibilitatis ad negationem exiſtentiæ obiecti, & de facto eſt ineuitabilis conſecutio. Tertio denique concluſionem vtramque de facto à ratione probo, quia alterutra à Deo de ſe ſe admiſſa durius multo diriuſque in ſalutis, ac perditionis æternæ homin um ſegerere cum hominum Republica Deum: ſiquidem de ſeſe, nullis reproborum demeritis ſpectatis, plures à Deo homines reprobos, quam ſint prædeſtinati à ſalute æterna efficaciter, & infallibiliter, amittenda de facto excluſiſſet, neminemque ex adeo paucioribus prædeſtinatis ante eorum præuiſa merita efficaciter gloriæ mancipaſſet. Quod ſi adeo nonnullis durum videtur Deum de ſe nulliſque ſpectatis reprobi demeritis tot eius generis homines à gratia efficace de facto reprobaſſe, vt inde erroris ſui anſam Pelagiani, ac Semipelagiani ſatis ipſis magnam, & firmam deſumpſerint, & tametſi ea reprobatione locus merito, & demerito contra eorundem errorem à Patribus, & Doctoribus Catholicis oſtendatur, adhuc tamen ad ſecreta Dei iudicia recurrendum humiliter nobis eſt vt à fidei dogmatibus hiſce non recedamus, nec dirius quam ipſum deceat agere, nobiſcum Deum iudicemus: quid ergo de anteriori prorſus tot hominum reprobatione alterutra nulla operum ratione habita, & ſpectata, quam defendere fidei dogmata non cogunt, imo nec leuiter fundant dicendum erit, vt arctiori, multoque duriori in ea difficultati ſatisfiat ni noſtras Theologicas Doctrinas voluntariis inanibuſque myſteriis velimus replere.

4. Apparentius aduerſariorum fundamentum ſumitur ex 9. ad Rom. vbi de illis prædeſtinatorum & reproborum typis Iacob, & Eſau dicitur: *antequam quidquam boni egiſſent, aut mali, Iacob dilexi Eſau autem odio habui.* Quare non ex demeritis, ſed ex me ipſo. Verum ibi de reparatione à gratia efficace ſolum, non à gloria, imo neque ex intentione adhuc inefficaci excluſionis reprobi eſſe ſermonem, & de prædeſtinatione ſeu præparatione prædeſtinati efficaci ad efficacem gratiam ſolum directe, etſi indirecte ad gloriam inefficaciter ſolum ipſi præintentam ſermonem eſſe oſtendimus ex contextu, & Patribus, d. 1. quare extra rem præſentem eſt. Nec aptius quòd ſoli Dei arbitrio quorumdam electionem in vaſa miſericordiæ, & aliorum in vaſa iræ Paulus tribuat, atque exemplo figuli partem maſſæ luti eiuſdem in vaſa honoris & partem aliam im vaſa contumeliæ pro ſuo libito effingat. Neque illud cuius vult miſeretur, & quem vult indurat: nec illud, *non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: Nec plura quæ ex Patribus ad præfata loca tumultuario congerunt aduerſarij. Ea ſiquidem omnia de prædeſtinatione, ſeu præparatione efficacis gratiæ gratuita abſque ipſorum meritis præuiis pro prædeſtinatis, & reprobatione ab illa reproborum aperta ſunt, vt citato etiam loco, & aliis controuerſiæ huius è contextu, & Patribus, ac ſcholaſticis monſtrau non autem de electione ad gloriam immediate & directe, ſeu directa reprobatione ab illa: quare ea omnia ad rem præſentem perperam adduci, inducique manifeſtum eſt. Sed notatum tamen pro his, & ſequentibus teſtimoniis velim, ex eis nullum pro negatiua ſcotica reprobatione ſono adhuc tenus, afferri poſſe: cum omniſ de poſitiua Dei voluntate excludendi reprobos ab efficaci gratia, vel (vt aduerſarij volebant) à gloria expreſſa, ſono ipſo vocum ſint proinde Scoticam reprobationem negatiuam, tametſi maiori in Deum ſpecie pietatis ſubtilitateque Theologica inductam, nullam tamen in ſono adhuc litteræ occaſionem vel fundamentum habere certum mihi eſt.

5. Inſtant vero aduerſarij ex illis eiuſdem capitis noni verſu 17. verbis Dei ad Pharaonem. In hoc *ipſum excitaui te, vt oſtenderem in te virtutem meam*: quibus ex intentione Dei potentiæ ſuæ oſtendendæ in Pharaone duriſſime puniendo à Deo præhabita ipſum vel condidiſſe, vel etiam ad tantam regiam poteſtatem, qua Dei præceptis obſtinato reſiſteret, ac reſiſtens Dei potentia vinceretur, euexiſſe Deum videtur ſignificari ac proinde erga obſtinatiorem ſaltem reprobum quemque (cuius figura Pharao fuit ita ſe Deum gerere, Deum eo loco ſignificatur, reſpondet ex aliis, quos non improbat Ruiz, voluntatem quidem illam dure à Deo puniendi peccata Pharaonis ante eorum imo & eius abſolutam futuritionem non eius ſolum, ſed permittendi ipſius peccata, ſimulet eandem fuiſſe: quare nec reprobationis à gratia efficaci cauſam fuiſſe. Sed vero id ſatis aduerſariis nonnullis recentioribus ita pro ſua ſententia diſcurrentibus foret: ac inſuper de facto admiſſa voluntate Dei, ex ſe ſolum ipſo punitiua antea abſoluta demerita, & exercitam obſtinationem Pharaonis, quod hæc anterior permiſſiuæ peccati voluntati fuerit, vt reliqui aduerſarij volunt, & connaturalius, & tertui videtur conformius: vnde ipſis ad figuratam in Pharaone perditorum hominum à gloria, & à gratia efficace reprobationem conſequentia eſt procliuis. Neganda igitur eſt omnis Dei de ſeſe voluntas puniendi peccata, & obſtinationem Pharaonis temporalibus illis ſuppliciis, ante abſolutam peccatorum, & obſtinationis eius futuritionem, & præuiſionem. Imo vero aſſerendum Deum ex eo textu, & conten tantum abfuiſſe ab ea anteriori peccatis abſolutis Pharaonis de ſuppliciis illis ipſi infligendis efficaci voluntate, vt plurimis ab eo abſolutè, & obſtinate admiſſis ante eorum augmentum & obſtinationis conſummationem, eam efficacem duriſſime illum puniendi voluntatem non conceperit, ſed ex voluntate potius ipſius ad reſipiſcentiam reuocandi, in qua eo vſque perſtitit Deus ipſius pœnitentiam, & mediis vocationibus, & leuioribus malis inflictis ſufferentia multa tentauerit. Vt ex illis Pauli verbis. n. 22. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ* ſatis claret, & docent Chryſoſt. Æcumen. recitati cert. 3. n. 7. & Theophylactus eadem verba. Confirmatur ex Paulo ad Romanos. 2. vbi Pharaoni ſimiles obſtinatos ad pœnitentiam, cum ex Dei bonitate, qua multis etiam eorum peccatis prouocatus patientia multa deſiderio ſalutis ipſorum inſiſtens reſipiſcentiæ, tempus locum, & oportunitatem ipſis facit, hortatur, tum è poſtremæ iræ & vindictæ Dei, ſi in obſtinatione perſiſtant ab ea deterret his verbis. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? An ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram in die iræ*, &c. Sed quid valet illud, *vt oſtenderem in te* ni præintentum ſi nem à Deo ſignificet. Reſpondet docte profundus noſter, & eruditus Vaſq. d. cit. c. 7. n. 39. euentus minime intenti futuritionem quæ ea particula frequenter in ſcriptura denuntiatur, vt illis Iſai. 6. & Lucæ 8. *Vt videntes non videant, & audientes non intelligant*, ac pluries.

6. Denique opponunt illud ſap. 12. *Neque Rex, neque Tyrannus in conſpectu tuo inquirent de iis, quos perdidiſti* tum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*cum ergo ſis iuſtus, iuſtè omnia diſponis:ipſumque qui non debet puniri condemnas, & exterum æſtimas à tua virtute,* per gloriæ excluſionem,& æternam damnationem,aduerſarij intelligũt:quia cum dominium tuum in creata omnia ad omnem earum vſum Regum creatorum dominiis & poteſtatibus ſuperius à Deo ſit & infinite excellens, de hominum ipſis etiam ſuo modulo ſubditorum, & quantumuis innocentium perditione æterna etiam agere tecum ex iure, & poteſtate nequeunt : imo vero in eorum perditione iure tuo illo ſupremi in illos dominij, & poteſtatis vteris, ac iuſte perdis, ex eo quippe fit vt tuum illos quantumuis innoxios perdendi libitum pro lege iuſtiſſima delatum perditione habenda ſit. Miror textum hunc, eique ſubiunctam ponderationem ſerio à Theologo ſano pro affirmante ſententia produci. Primo, quia ea lectio textus, etſi ex aliquot latinis codicibus olim haberetur; id tamen apertus amanuenſium errore contigit, correctumque proinde fuit, in vulgatæ correctione à Sixto Pa. 5. facta, & edita ex qua ita legendum præſcribitur. *Et eum, qui non debet puniri, condemnare exterum* (id eſt extraneum & alienum) *æſtimas à tua virtute.* Fuit autem errori amanuenſium ſumma in præſenti facilitas notata à noſtro Vaſq.cit.c.7.§. *ex variis opinionibus*.ſcilicet mutando verbi *condemnare*. r. in ſ.quo errore,ni e.reliquo *t.* adderetur nullum ſenſum, vtcumque, reddi ea clauſula poſſe,cum videretur, *t.* illud additum eſt : atque textus vitiatus ponderationi, & argumento præfatis locum apud minus rigidos Theologos, minuſque ſcrupuloſos, religioſos textum pro ſuis cogitationibus correptores fecit.Eius autem lectionis vitium,& ponderationis infirmitas, è toto capitis contextu & intento oſtendendum nobis ex inſtituto hic erit, vt appareat quanto iure correctus hic textus à Sixto.5.fuerit in Vulgata à ſe correcta & emendata : ea ſiquidem correctione anterioris vulgatæ non adhibita totius capitis cohęrentia deficeret;imo textui toto, & intento capitis textus ille aduerſaretur. Vt mittam modo, quam vane, & arbitrario aduerſariorum ponderatio, condemnatione, & extraneitate nimirum à Dei virtute intelligi excluſionem perditorum,ſiue reprobationem à gloria. Illud etiam : quod ea ponderatio verba illa,*cum ſis iuſtus iuſte omnia diſponis*, quæ de iuſtitia vindicatiua delictorum aperta, & expreſſa ſunt, de iuſtitia ex iure,& poteſtate dominij, non autem iuriſdictionis, in homines quos perdit interpretetur:Mitto demum textum, ita lectum, & intellectum,non de intentiua efficaci anteriori de meritis perditione reproborum,ſed de executiua contra aduerſarios, & dogma Catholicum probare,vt ex verbis ipſis patet.

7. Venio ad capitis intentum, & contextum totum quibus vitiata ea ratio, & ponderatio contradicunt. Intentum capitis ſic eius initio proponitur. *O quam bonus, & ſuauis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus!* cuius bonitati, ſuauitati, & benignitati in creaturas omnes ſuas oſtendendæ ex his quæ in hoc mundo efficit totum caput impenditur,imo ex his, quæ in ipſas videtur exercuiſſe ſupplicia duriora, vt iam videbimus. Et quæ ergo Dei bonitas,ſuauitas benignitaſque Dei eſſet innoxium prorſus à gloria efficaci voluntate excludere, atque æternum dominij ſui ſupremi in ipſum iure, & titulo ſolo? certe ius ſuum,citra culpam,non autem benignitatem,& ſuauitatem ſuam erga illum exerceret, vt de ſe patet : ergo lectio illa, & aduerſariorum ponderatio,& ratio inde petita intento capitis aduerſantur. Sed toti etiam eius contextui repugnant, Illico enim, ſic probat, *ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine.* Scilicet quia præ ſuauitate & benignitate ſua in manibus etiam peccatoribus conſummatis ( id valet verbum *exerrant* ſermonis proprietate ) magnaque ſupplicia meritis, partem ſupplicij ſolum iniungis, nec tam in pœnam, quam in correptionem & monitionem vt peccatis abſiſtant, reſipiſcantque ad pœnitentiã & fidem tuam,qui totus vel præcipuus ſaltẽ finis ea mala adhuc meritis leuiora, infligendi, non autem eos affligendi, & puniendi tibi extitit finis, ſubditque exemplum immanium gentium idololatrarũ terræ promiſſæ Hebræis incolarũ,quos cum bello, beſtiiſue diris ac virulentis, vel verbo ſolo ſuo ſimul ſemelque exterminare,ac perdere poſſet, quin pœna infandis ibi memoratis eorum delictis excederet, noluit inquit textus, *ſed partibus iudicans* (vt habetur.n.10) *dabas locum penitentiæ* benigna illa magnanimitate, & patientia longanimi, ac miſericordi, ex qua ſcilicet, ac ex te ipſo ſolum *nec timens aliquem,* ( pergit textus) *veniam dabas*, quantum ex te erat, *peccatis illorum* reliquum pro tunc pœnæ remittens, *quis enim dicet tibi, quid* feciſti? *Neque enim eſt alius Deus,cui cura eſt de omnibus:*qui ſolus eo iure rogare te facti rationem poſſet, & exigere,*neque Rex,neque tyrannus*, quibus, æque ac cæteris dominaris. Cum *ergo ſis iuſtus iuſte omnia diſponis,* non alterius metu aſſue, ſi potes contextui huic lectionem illam vitiatam, & ponderationem tuam pro reproborum anteriori demeritis, efficaci excluſione à gloria intentiue, cui lectio vulgata correcta ſe ipſa, nullo ſtudio noſtro ſed vocum proprio ſono cohæret. Sicut & rationibus ſubiunctis. n. 16. *virtus enim tua iuſtitiæ initium eſt:*& quantumuis pœnam promptam, nulliſque inductis datis ſceleſtiſſimus quiſque mereat vt, & exigat, tamen *ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis* ſuplicij dilatione ſaltem & n. 18. *Tu autem dominator virtutis*, id eſt non ſolum ad extra actiuæ ſed & ad intra ex honeſtate per liberos affectus à te exercendæ, *cum tranquillitate iudicas*;quia nullius moralis virtutis honeſtate raperis,*cum magna reuerentia diſponis nos*, nec proteris,perdiſque vbi primum id meremur, vt exemplo erga immanes, & ſceleſtiſſimas gentes illas oſtenderet : ſubdit autẽ textus Spiritu S.dignam tantæ,tamque benignæ patientiæ & diuturnæ ſufferentiæ Dei rationem. *Subeſt enim tibi cum volueris poſſe :* quo ſcilicet erga illa abutentes obſtinatos, finaliterque impœnitentes pro libito vtens, non euadant indemnes, ſed diriſſime, & æterne puniti:reliquo vero capitis fideles Hebræos, atque in eorum perſona Chriſtianos, ne peccatis, ſuppliciiſque temporalibus quandoque adeo affecti animum deſpondeant, ſed hæc diuinæ,non tam vindictæ, & iræ, quam correptionis, & adhortamenti diuini ad reſipiſcentiam loco reponant, ac benignam in eis malis infligendis Dei erga ipſos diſpoſitionem recognoſcant, quam erga nefarias etiam gentes exercitam viderunt:cuius bono, qui penes ipſos demum eſt, vſu bonum tandem eorum malorum ac fæliciſſimum exitum de Dei erga ipſos benignitate ſperent. Quibus omnibus correcta lectio, noſtraque concluſio cohæret, alia vero vitiata ratioque inde & concluſio affirmans aduerſariorum toto diſſidet cœlo, ac plane repugnat.

8. Textus huius litteram,profusè à Deo ediſſerui,atque exenteraui, non quidem, vt oppoſito vitiato, rationique ex eo vitio ductæ ſatisfacerem, quibus vulgatæ correctione plene ſatisfieret : ſed vt exemplo hoc oſtenderem, quod aliis etiam, ſæpe monſtraui : nempe valde tumultuario, & ſono à Doctoribus pure Scholaſticis, nec infimæ ſolum notæ, quiſuis præcipue diſcurſibus, & ſubtilitatibus in re Theologica incumbunt,& innituntur ſcripturæ, & Patrum teſtimonia pro cuiuſque cogitationibus corripiantur, non modica, ſacræ ſcripturæ, & Patrum irreuerentia, & vitioſo Theologici ſui muneris neglectu cuius plane præcipua diſcurrendi, & definiendi principia ſcripturæ & Patrum teſtimonia eſſe debent, ſed tamen in re præſente laudandum merito eſt aliquorum ſtudium, & labor pro Dei erga nos exercita bonitate. Liranus & alij vitiato illo textu vtentes, innoxium, æſtimatione hominum punitumque, atque à Dei virtute, & benefica voluntate, non autem reuera extraneum, & punitum interpretantur vt de beato Iobo eius conciues plerumque cenſebant. Huic tamen interpretationi aperte aduerſatur verbũ *æſtimas*,quod Dei iudiciũ ſignificat,Alij melius,etſi nõ ſatis ad intentũ, & contextũ capitis conformes innoxium iudicio hominum non Dei qui eum puniebat intelligunt. Sed omnium optime, & Deo decentiſſime vitiatum textum ( quo, & ipſe fuit vſus ) interpretatus eſt 3. Moral. vt iuſtus ibi memoratus Chriſtus ſit, qui cum omnino innocens fuerit & prorſus impeccabilis,fuit tamen pro nobis ac ſi peccator eſſet oblatus à Deo ſuppliciis, crucique oblatus fuit, vt 2. Corinth. *eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit* ac ſubinde extraneus & peccator inde ab hominibus iudicatus : in eo vero, & iuſtitia Dei, atque in nos amor, & ſuauitas, qua toto eo capite prædicatur, ſummopere enituit. Verum licet hæc interpretatio cum capitis intento tum

Dei decentiæ ingenioſiſſime conueniat cum reliquo capitis contextu diſcordat, vt ex dictis proxime facile apparet memoranda tamen cum honore fuit, ne tanti patris pietas, & ingenium illaudata maneret.

## QVÆSTIO IV.

### *An reprobatio rationalis creaturæ efficax, & eius demeritis anterior natura, ex ſine ipſam puniendi reprobationis à gratia efficace cauſa eſſe poſſit.*

PRæfixo quæſtionis titulo dubium ad eos terminos redegi, vt illud de anterioris efficacis voluntatis ad reprobi demerita titulo ſolum dominij ſupremi Dei erga omnes rationales creaturas concipiendæ poſſibilitate à nobis in præſentiarum proponi arbitrari nemo poſſit, eam ſiquidem ante præuiſa, ſiue nullatenus præuiſa perituri de merito: poſſibilem Deo abſolute eſſe oſtendimus q. 4. cent. 1. ſed ſolum de poſſibilitate anterioris voluntaris efficacis, & intentiua puniendi reprobum ob eius abſoluta demerita poſteriori naturæ gradu abſolute futura à Deo concipiendæ, & ex qua ad reprobationem à gratia efficace, (de qua in præſenti) Deus progrediatur: de qua ſubtiliter à noſtris recentioribus diſputatur. Video tamen non nihil quæſtionis eſſe poſſe an ex ea voluntate excludendi hominem à gloria ſine vllis eius demeritis abſolute præuiſa à Deo vt poſſe diximus, abſolute concepta, ad deneganda illi efficacia auxilia ac ſubinde ad illius à gratia efficace reprobationem mereri, impellique Deus poſſit ac ſubinde & anterior reprobi demeritis & ipſius à graria efficace reprobationi voluntas illa efficax eſſe queat? quam quæſtionem à nonnullis hic tactam proteri potius video, quam digno Theologico examine diſputari, vt conſtabit certamine poſtremo.

---

## CERTAMEN I.

### *Aliorum ſuper quæſtione propoſita ſententiæ, & negatiua noſtra & communis deciſio.*

1 POſſibilem eam efficacem intentiuè punitiuam voluntatem excluſionis reprobi à gloria eius abſolutis demeritis, & reprobationi eiuſdem ab efficaci gratia anteriorem, reprobationiſque huius cauſam abſoluta eſſe poſſe affirmant, ex iis qui de facto cauſam eſſe Deo aiunt, Doctores plerique. Ex noſtris vero, qui id de facto cordatius ex Patrum, & communiori longe ſcholaſticorum, vt vidimus, ſententia negant intentiuè punitiuam efficacem voluntatem reprobi de meritis, & reprobationi ab efficace gratia præcedere affirmant tamen de poſſibili Ruiz de Montoia cita. d. 16. ſect. 6 n. 29. §. *ſecunda concluſio* Granados, Arrriaga d. 39. ſect. 2. ſubſect. 1. §. 1. circa med linea. *Dico ſecundo*, & §. *hinc infero* vterque vero ſupponit ad eam voluntatem ſcientiam mediam eius directricem, ex qua reguletur ſupponi debere, nec niſi ita regulatam eſſe poſſibilem. Si enim ſola ſimplici intelligentia directus eam efficacem voluntatem intentiuam puniendi reprobum anterius ad abſoluta eius demerita præuiſa Deus conciperet fruſtrationis periculo. contra efficaciæ ſuæ prædicatum, & eſſentiam natura etiam ſua expoſita eſſet vel operum, ac demeritorum poſterius natura futurorum libertatem, ac ſubinde demeritum euerterent. Quid autem pro neceſſaria ſcientiæ mediæ præſuppoſitione, & regulatione ad poſſibilitatem intentionis efficacis puniendi reprobum anterius ad eius abſoluta demerita, & reprobationem concipiendæ hæc probent ex dictis in ſimili de intentione, ſeu electione efficace prædeſtinati ad gloriam ante eius merita abſoluta ſatis conſtat. Probant enim parum. Etſi enim ſcientia media de demeritis eam efficacemvoluntatem excluſionis reprobi à gloria non dirigat, neque ad illam ſupponatur, ſed concernatur ſolum pro poſteriori ad ſimplicem intelligentiam de continentia aliquorum auxiliorum efficacium reſpectu reprobi in cumulo contentorum, ac Dei potentia, & ex qua efficacia omnia illi denegare poſita antecedente illa voluntate excludendi reprobum à gloria Deus tenebitur, efficax hæc voluntas ſatis à fruſtrationis periculo liberaretur, quin iuxta horum doctrinã operis libertas, & eius defectu magis lædatur quam ſi ea voluntas per ſcientiam mediam præſuppoſitam dirigatur: ſiquidem non ſe ipſa, & mediis indifferentibus de ſeſe, atque extrinſecus efficacibus natura ſua coniungeretur in caſu vtroque, nec niſi mediis illis ex ſcientia media adhibitis effectum intentum obtineret, quod ad operum reprobi libertatem ſaluandam in horum Doctorum ſententia ſatis eſſet: vt de electione efficace ad gloriam ante abſoluta prædeſtinati merita philoſophabantur: ſed de hoc, & an aliunde ratio demeriti, ex voluntate illa efficace & antecedenti ipſa deficeret agemus certam poſtremo.

2. Dicendum nobis eſt voluntatem efficacem intentiuam puniendi, & excludendi reprobum à gloria in pœnam anterius ad eius abſoluta demerita, & reprobationem ab efficaci gratia à Deo haberi non poſſe, quare neque ex parte Dei cauſam eſſe reprobationis, de qua diſputamus, eſt omnium à nobis citatorum q. 4. cert. 3. n. 1. & 2. pro concluſione 1. in q. de facto; & quamuis Patres pro illa recitati pro hac de poſſibili expreſſe, & in terminis non ſint, rationes tamen quas pro illa reddunt, hanc etiam probant, vt videre eſt duobus totis numeris vbi eos recitauimus: eam quippe conſtanter reddunt, vt eiuſmodi antecedentem reprobi demerita efficacem intentiuam punitiuam voluntatem de facto negent, quia in ea punitiua ante abſoluta demerita reprobi voluntate efficaci iniuſte ſe erga illum gereret de facto Deus innocentem adhuc efficaciter, & abſolute punire volens, & condemnans: atqui in omni prouidentia poſſibili id ipſum reperiretur: ergo in omni poſſibili prouidentia ea voluntas non minus Deo repugnat, quam ipſi repugnat iniuſta voluntas. Et repetenda hic ſunt Proſperi verba recitata ex reſponſ. 11. ad obiect. vincentianas illa in primis poſtrema. *Atque ita ad prædeſtinationem eius* Dei ſcilicet erga homines ſiue ad gloriam, ſiue ad æternam pœnam (*nihil aliud referri poteſt, niſi quod aut ad debitam iuſtitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.* Si autem poſſibilis ſit voluntas illa efficax intentiuè punitiua, nondum abſolute merentis pœnam, poſſet referri aliquid ad prædeſtinationem Dei erga homines reprobatiuam, quod nec ad gratiæ largitatem indebitam pertineret, neque ad debitam retributionem pœnalem, cum nondum male merito, nec debent; puniri pœna efficaciter tam priuatiua, quam poſitiua à Deo decerneretur, indeque prædeſtinatio reprobatiua ipſius tota inchoaretur contra Proſperum, qui eis verbis *nil referri poteſt* non executiuam voluntatem retribuendi pœnam inſonti, nec debenti, à prædeſtinatione erga reprobos omnino excludit. Illa etiam eiuſdem Proſperi reſponſ. 2. ad captiua Gallor. Memoranda ſunt. *Quod multi pereunt pereuntium eſt culpa; quod multi ſaluentur ſaluantis eſt donum vt enim reus damnetur inculpabilis eſt iuſtitia Dei;* quæ tamen in voluntate damnandi non reum culpabilis eſſet, implicitè inquit Proſper. Hanc vero ſententiam didicit ex Præceptore ſuo Auguſtino recitato n. 2. citato vbi punitiue reprobationi à gloria, & damnationi reproborum demeritorum abſolutam præſcientiam neceſſario præceſſuram, quia iuſtus iudex Deus eſt; cum tamen miſericors voluntas præparans, & prædeſtinãs ſaluandos, ſemper eorũ abſoluta merita antecedat vt aiebat teſtimonio 1. cui in ea differẽtia, & doctrina cõſonabat concilium Valẽtinianũ nomine electionis ad vitã, & electionis ad mortẽ, vt vidimus ibi, & oſtẽdimus vtrũq; agere de omni electione, & prædeſtinatione ad mortem, ſicuti de omni

ORTE.G. In 1. part DVIa.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN